Collectio Lavallensis **Sectio Theologica**

IOANNES A SANCTO THOMA

DE CERTITUDINE PRINCIPIORUM THEOLDGIÆ

DE AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS

A *8/S*

PROFESSORIBUS A. MATHIEU et H. GAGNÉ

UNIVERSITATIS LAVALLENSIS

DILIGENTER EMENDATA

QUEBECI, A.D. MCMXLVII

S. D.M .

52 4 e.

Nihil obstat:

Ernestus Lemieux, pter.

Censor deputatus.

Die 17a Augusti, 1947.

Imprimi potest:

Ferdinand Vandry, ptre.

Rector M. Universitatis Lavallensis.

Die 17a Augusti, 1947.

Imprimatur:

f Mauritius,

Archiepiscopus Quebecensis.

Die 18a Augusti, 1947.

AD LECTORES BENEVOLOS

Nomine Theologiæ Dogmaticæ designatur illa pars theologiæ nostræ cujus est munus fidem nostram defendere seu stabilire. Appellatio ista, apud antiquos doctores usitata inter modernos, secundum eumdem sensum, amplius non viget. Quod enim vocant *theologiam dogmaticam,* servatis servandis, theologia *scholastica* olim vocabatur. Munus tamen defensivum hodierna etiam die exercetur, sed sub nomine Apologeticæ vel theologiæ fundamentalis.

Intentio nostra, in ista editione, non est novam apologeticam proponere, sed quædam commentaria Joannis a Sancto Thoma in lucem proferre.

Ista autem commentaria non continent omnia quæ ad theologiam dogmaticam pertinent, sed tantummodo communia. Attamen ex hoc ipso eorum momentum habetur.

Uti enim sæpissime docet[1] D. Thomas, necessarium nobis est, in omnibus disciplinis acquirendis, a communibus ad propria procedere. Quod autem sit necessarium in dogmatica theologia, constat ex ipsa amplitudine materiæ, quæ per totam theologiam decurrit, nec potest absolvi in uno alterove tractatu. Inde venit necessitas cujusdam introductionis ubi inveniantur argumenta generalia, quibus mediantibus fides nostra, quasi in communi, contra omnes adversarios defendatur et stabiliatur.

Ista vero communia theologiæ dogmaticæ Joannes a Sancto Thoma optime exponit in Cursu suo theologico, duobus in locis.

1 Suarez, *De Fide,* disp. XVI, sect. IV, n. 4, *Opera Omnia,* t. XII, p. 415; Salmant., *Curs. Theol., De* Sacram. in comm., tract. XXII, *Proamium,* n. 6; Joannes a Sancto Thoma, *Curs, theol.* disp. 1, art. 1, ŋ. 25.

2 Cf. In *I Phys.,* lect. 1, n. 6-8.

Et primo, in *Disputatione prima,* quam ipse vocat prooemialem, circa quæstionem primam *Summae Theologiae,* ubi disputat de certitudine principiorum theologiæ nostræ. Ostendit enim quomodo *in generali* veritates nostræ fidei defenduntur contra diversas species infidelium [1]. Tractat de modo quodam *communi* fidem nostram proponendi sive omnibus rationalistis, sive omnibus Judæis, sive tandem omnibus haereticis: non autem attendendo ad singulos errores. Et ita, quasi prooemialiter et *in communi,* fides nostra stabilitur.

Ista vero communis defensio ad intentionem theologiæ dogmaticae non sufficit. Unaquaeque veritas nostræ fidei *in particulari* defendi debet, et non solum communiter omnes veritates nostræ fidei. Ipse D. Thbmas, in libris *Contra Gentiles* et in ipsa *Summa Theologiae,* unamquamque veritatem nostræ fidei latissime et in particulari defendit.

Si autem iste modus particularis defendendi fidem nostram consideretur, per prius stabiliendum est quod attinet ad regulam proximam nostræ fidei; ita ut stabilita, eo ipso, quasi in principio, omnes veritates fidei defenduntur. Hoc etiam pertinet ad *communia* in dogmatica theologia.

Ita introducitur tractatus de regula proxima nostræ fidei, quem optime instituit Joannes noster, et in quo ostendit Romanum Pontificem istius regulæ proximæ munus gerere. Opusculum istud confecit ut commentarium super articulum decimum quæstionis primæ *Secundae Secundae.*

Et sic omnes quaestiones circa *communia* in dogmatica theologia rite absolvit Joannes a Sancto Thoma in Cursu suo theologico duobus in locis.

Uti supra apparet, ista editio duas disputationes continet. *Prima,* de certitudine principiorum theologiæ nostræ, seu de certitudine veritatum nostræ fidei; *secunda,* de regula proxima nostræ fidei.

1 Cf. *Sum. theol.,* IIa-IIæ, q. 10, a. 5.

Tres habentur articuli in prima disputatione, quatuor vero in 'secunda. Illos autem septem articulos ex editione Vivès hausimus. Uti omnes norunt, defectus quam plurimi abundabant.

Opus criticum non quidem fecimus. Attamen fontes, juxta collectiones Mansi, Migne, Corpus Juris Canonici et aliorum restituimus. Ipsum Joannis textum correximus ex interna comparatione et meditatione.

Præterea, quia divisio distinguit et distribuit partes, et sic aufert confusionem totius, textus frequenter dividitur. Numerationem editionis Vivès non tollamus, sed novam numerationem marginalem apposuimus.

Quo facilius evaderet studium, plures indices confecimus, scilicet de auctoribus, de nominibus et de rebus. Isti omnes indices novam numerationem servant.

EDITORES

IN PRIMAM PARTEM
DISPUTATIO PRIMA
DE CERTITUDINE PRINCIPIORUM THEOLOGIÆ

Prooemium 1-6

ARTICULUS PRIMUS

Prænotamina 7-17
Cavendum est ne quis ad ea quæ fidei sunt, aliquas demonstrationes adducere præsumat 7-8
Prædicatio fidei duplici via solet introduci 9-17

Ordo Dicendorum 18-24

Probatur in Generali Credibilitas Nostræ Fidei Contra Rationalistas 25-86

Per Viam Negationis 25-33

Per Rationes Positivas 34-76
Quomodo ex præambulis ad fidem manuducatur ad ostendendam fidei nostræ excellentiam 35-51
Quæ maxime probant credibilitatem nostræ fidei 52-79
Puritas doctrinas catholicae 53-55
Miracula aliæque circumstantiae hujus doctrinae 56-79
Vis probativa miraculorum 56-69
Aliae circumstantiae hujus doctrinae 70-79
Prophetarum oracula 70-71
Testimonia martyrum 72-73
Invicta stabilitas Ecclesiae 74-75
Interior immutatio mentium 76-79

Per Similitudines et Exempla 80-86
Ad explicanda mysteria fidei 80-83
Ad informandos mores 84-86

Difficultates Solvuntur 87-149

Contra Instrumenta Nostræ Fidei 87-90
Respondetur 91-113

Contra Vim Probativam Miraculorum 114-117
Respondetur 118-131

Contra Vim Probativam Prophetiarum, et Credibilitatem Veritatum Fidei. 132-136
Respondetur 137-149

ARTICULUS SECUNDUS

Prænotamina 150-157

Intentio Articuli 158-159

Ordo Dicendorum 160-162

Probatur in Generali Credibilitas Nostræ Fidei Contra Judæos 163-229

Testimonia Quæ Absolute Promittunt Christum Venturum 163-173

Testimonia Designantia Tempus Circa Quod Veniret Christus 174-215
Messias non venit immediate post captivitatem Babyloniæ 174-175
Messias venire non debebat post totalem destructionem templi et reipublicæ Judæorum 176-177
Tempus quo Messias veniret magis in particulari designatur 178-215
De vaticinio Jacob 179-183
De prophetia Danielis 184-215

Testimonia Designantia Tales Circumstantias Quod Non Nisi Jesu Nazareno Convenire Possunt 216-227

Corollaria 228-229

Difficultates Solvuntur 230-289
Circa Ps. 131, 11, et 91, 11 230-232
Respondetur 233-239
Circa vim probativam prophetiæ Jacob 240-247
Respondetur 248-260
Circa vim probativam prophetiæ Danielis 261-265
Respondetur 266-286

ARTICULUS TERTIUS

Prænotamina 287-300
In quo omnes hæreses conspirant 287-288
Difficultates indicantur 289-300
haereticorum contra catholicos 292
catholicorum contra haereticos 293-300

Ordo Dicendorum 301-302

Probatur in Generali Credibilitas Fidei Catholicæ Contra Hæreticos 303-339
Ex ipsa Scriptura 303-312
Ex traditione viva 313-325
Confutantur haeretici 316-325
Ex consensu Patrum 326-330
Ex ratione theologica 331-335
Corollaria 336-339

Difficultates Solvuntur 340-373
De circulo a Scriptura ad Ecclesiam, et e contra 340
Respondetur 341-355
De locis aliquibus Scripturae quæ haereticis videntur favere 356-359
Respondetur 360-366
Circa Ecclesiam, eo quod est humana et visibilis 367-368
Respondetur 369-373

DE AUTORITATE SUMMI PONTIFICIS

Proœmium 374-399

DISPUTATIO PRIMA

ARTICULUS PRIMUS

Prænotamina 400-405
In quo haeretici conspirant 400
Breviter confutantur 401
Dupliciter judicio privato stari potest 402-405

Intentio Articuli 406-412
Probatio apud catholicos 407
Probatio apud haereticos 408-412

Contra Hæreticos Probatur Regulam Proximam Nostræ Fidei Esse Visibilem et Exteriorem 413-146
Probatur ex Scriptura 418-427
Probatur ex unitate fidei 425-424
Probatur ex inconvenientiis sententiae oppositae 428-434
Probatur ex antiquissima etcontinuata traditione 435-446

Difficultates Solvuntur 447-528
Circa regulam proximam fidei in V. T. 447-449
Respondetur 450-462
Non omnes veritates fidei regula hujusmodi indigerent, v.g. ipsa regula proxima... 463-466
Respondetur 467-471
Eo quod Pontifex per prius disputat et discurrit, non posset definire 472-473
Respondetur 474-476
Concilium generale esse posset regula proxima, aut saltem non esset una tantum regula 477
Respondetur 478-480
Ex non-infallibilitate praedicatoris concluditur ad non-infallibilitatem Pontificis... 481-483
Responsio Suarezii 484-487
Vera responsio 488-498
Majoris auctoritatis esset verbum Pontificis quam verbum Dei in Scriptura 499-500
Respondetur 501-506
De locis aliquibus Scripturae quæ haereticis favere videntur 507-516
Respondetur 517-528

ARTICULUS SECUNDUS

Prænotamina 529-542
Quatuor distinguuntur regulae exteriores nostrae fidei 530-535
Auctoritas divina Sacrae Scripturae 536-538
Punctus difficultatis 539-542

Intentio Articuli 543-550
Animadversio prima 544-546
Animadversio secunda 547-550

Contra Hæreticos Probatur Regulam Proximam Nostræ Fidei Esse Vivam et Humanam 551-579

Probatur ex testimoniis, ... 552-560
Sacræ Scriptura 552-559
Patrum 560

Probatur ratione 561-566
Solvitur aliqua difficultas 567-568
Corollarium de Traditionibus Apostolicisnon scriptis 569

Probatur ex praxi Ecclesiæ 570-575
Distinctio convellitur fidem historicam inter et salvificam 576-579

Difficultates Solvuntur 580-620

De locis aliquibus Scriptura 581-585
Respondetur 586-592
De locis aliquibus Patrum 593-599
Respondetur 600-607
Sacra Scriptura sufficeret ut regula tum proxima tum remota nostræ fidei 608-613
Respondetur 614-620

ARTICULUS TERTIUS

Prænotamina 621-648

Subjectum auctoritatis supremæ determinandi res fidei seu regula proxima, est intra Ecclesiam 622-624
Subjectum istud non est tota Ecclesia entitative accepta 625-628
Punctus difficultatis aperitur 629-630
Illi qui denegant auctoritatem istam Romano Pontifici 631-648
In generali 632
In particulari 633-648

Intentio Articuli 649-670

Prasupposita: Primatus Petri super alios Apostolos stabilitur 652-670
Auctoritas suprema confertur 653-655
Et quidem illi singulari personæ, scilicet Petro 656-660
Quid ex his duobus notabilibus concluditur 661-666
Petrus primatum non habuit in apostolatu, sed in pastoratu 667-670

Probatur Regulam Proximam Nostræ Fidei in Uno Supremo Capite Esse Ponendam 671-700

Probatur ex analogia cum V. Testamento 672
Probatur ex tribus locis S.S. ubi Petro ejusque successoribus primatus confertur... 673-676
Probatur excontinua attestatione traditionis 677-686
Probatur ratione 687-696
Ex unitate fidei 688-693
Ex unitate Ecclesiæ 694-696
Corollarium 697-700

Difficultates Solvuntur 701-759

Christus omnibus apostolis æqualem potestatem concessisset 701-703
Respondetur 707-709
In Veteri Lege primatus in uno non semper fuisset 704-706
Respondetur 710-714
Corollarium 715-717
Circa aliquem textum s. Hieronymi 718-721
Respondetur 722-731
Unitas Ecclesiæ supremam auctoritatem in uno tantum esse non requireret 732-733
Respondetur 737-740
Unitas fidei non destrueretur si potestas suprema in uno tantum non esset 734-735
Respondetur 741-743
Circa canonem sextum Cone. Nicæni 736
Respondetur 744-749
De locis aliquibus S. Scripturæ 750-752
Respondetur 755-757
Non posset sine miraculo tota Eccl. ab uno solo gubernari 753
Respondetur 758
Potestas suprema in uno tantum episcopo potestati ordinariæ in aliis episcopis obstaret 754
Respondetur 759

ARTICULUS QUARTUS

Præcipuæ difficultates contra supremam AUCTORITATEM ROM. PONTIFICIS 760-762

INTENTIO ARTICULI 763-767
Quomodo catholicis manifestatur 765-767

PROBATUR ROMANUM EPISCOPUM ESSE IPSAM REGULAM PROXIMAM NOSTRÆ FIDEI..... 768-892

Prima pars: Romanus Episc. est ipse summus pontifex..... 769-887

Major: Potestas suprema data est Petro pro se et suis successoribus..... 769-790

Minor: Petrus alligavit successionem sui primatus episcopatui Romano..... 791-887

Difficultates contra Minorem..... 791-794

Quod Romanus episcopus succedat Petro in primatu, est veritas definita 795

Duo hic sunt valde distinguenda..... 796-808

Circa primum: ipsa successio et conjunctio Romani episcopatus cum pontificatu Ecclesiæ..... 797-805

Circa secundum: modus quo conjunctio ista facta est..... 806-808

Stabilitur Minor quatuor conclusionibus..... 809-851

Prima conclusio..... 809-811

Secunda conclusio..... 812-814

Tertia conclusio..... 815-826

Quarta conclusio..... 827-851

Solvuntur difficultates contra Minorem syllogismi..... 852-887

Secunda pars: Romanus episcopus est suprema regula in rebus fidei definiendis.... 888-890

Tertia pars: Potestas illa suprema semper in Ecclesia est **duratura**..... 891-892

INDEX SIGLORUM

DTC = *Dictionnaire de Théologie catholique,* publié, depuis 1903, par A. Vacant, ensuite par E. Mangenot, enfin, par E. Amann, Paris.

Hef.-L. = Hefelè, Ch. J., *Histoire des conciles,* traduction française par Dom Leclercq.

Msi = Mansi, Johann. Dominici, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio.* Tomus I. Florentiæ 1759 sqq (postea Parisiis, Lipsiæ).

PG = Migne, J. P., *Patrologiæ cursus completus,* Series græca, Parisiis, 1857-1866.

PL = Migne, J. P., *Patrologiæ cursus completus,* Series latina, Parisiis, 1844-1864.

RF — *Corpus juris canonici,* ed. Ae. Richter et Ae. Friedberg, 2 vol., Lipsiæ, 1881.

QUOMODO
IN GENERALI
DEFENDITUR FIDES

IN QUAESTIONEM PRIMAM
PRIMAE PARTIS

PROOEMIUM

1 I. *Lex Domini immaculata,* inquit propheta *(Ps.* 18, 8-9), *convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis; justitiæ Domini rectæ, laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* In his verbis aperte demonstratur fidei nostræ certitudo et excellentia super omnes doctrinas et leges: et denotatur *triplex* ejus conditio ad convincendum *triplex* genus infidelium, scilicet *paganorum, hæreticorum* et *Judaeorum.*

2 Nam in illis primis verbis: *Lex Domini immaculata convertens animas,* ostenditur contra *paganos* excellentia Legis et Scripturæ divinæ respectu omnium aliarum legum; quia nulla est ita immaculata, nec interiora animæ sic attingens sicut lex Domini, ut egregie advertit D. Thomas (super hunc ipsum *Ps.* 18).

3 In illis autem verbis: *Testimonium Domini fidele,* et *justitiae Domini rectae,* agitur contra *Judaeos,* quibus oportet ostendere fidele fuisse promissum divinum, et testimonium ejus impletum de adventu Messiæ; et quod cessaverunt justitiæ carnis quæ erant cæremoniæ Veteris Legis, et successerunt justitiæ lætificantes corda.

4 Denique, in ultimis verbis: *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos,* agitur contra *haereticos,* qui se illuminatos dicunt, non ex Domini præcepto et obedientia fidei quæ per Ecclesiam nobis proponitur, sed ex proprio spiritu et

electione propriæ voluntatis: cum tamen in præsenti, non propria voluntas, sed præceptum Domini dicatur illuminare oculos.

5 Contra hæc ergo *tria* infidelium genera ostendendum est principia nostræ theologiæ, quæ sunt veritates traditæ a fide, esse omni alia doctrina certiora; et sic manuducemur tum ad ipsas res fidei acceptandas, tum etiam excitabimur ad defendendas.

ARTICULUS PRIMUS

OSTENDITUR CONTRA PAGANOS FIDEM NOSTRAM ESSE ALIIS OMNIBUS CERTIOREM.

6 *Lex Domini immaculata convertens animas (Ps.* 18, 8). *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non sicut lex tua (Ps.* 118, 85).
Non doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri virtutem et praesentiam (II *Pet.* 1, 16).

* * *

7 **II. Principio oportet advertere** eum qui contra paganos disputaturus est et fidem prædicaturus, nullatenus praesumere debere quod ratione et discursu poterit eos convincere, et demonstrare ea quæ fidei sunt.

8 In hoc enim, ut optime advertit D.Thomas (Ia, q. 32, a. 1; et I *Contra Gent.* cap. 3), multum fidei derogaretur: *tum* quia, cum res fidei sint ita excelsæ quod omnem intellectum creatum superant, non possunt humana ratione, quæ valde infirma est, comprehendi et demonstrari; *tum* quia cedit in derisum et contemptum fidei, si videant gentiles nos non inducere rationes cogentes: intelligent enim quod solum propter illas rationes credamus.

9 III. **Secundo, oportet advertere** quod prædicatio fidei duplici via solet introduci.

10 *Primo,* per modum extraordinarium et superiorem, videlicet per miracula, juxta illud (I *Cor.* 2, 4) : *Sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* Sed hoc utendum non est communiter et ordinarie, nisi aliquis senserit specialem motionem Spiritus Sancti: alioquin magno periculo fidem exponet, si temerarie præsumat miracula velle facere in confirmationem fidei, et non faciat.

11 Fuit autem frequentior in principio Ecclesiæ ista prædicatio fidei per miracula, quia tunc primo plantabatur in mundo; et ideo non erat præsumptionis, sed necessitatis, postulare a Deo crebra ista miracula ut sic posset fides publicari et manifestari, juxta illud *(Ad.* 4, 29-30) : *Et nunc Domine da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu.* Haec erat tunc Ecclesiæ oratio. Cæterum nunc postquam Ecclesia, post tot miracula et testimonia, radicata et fundata est in fide, non sunt quærenda'nova miracula, neque singulis diebus innovanda ad credendum, ne forte audiamus illud Christi Domini *(Mat.* 12, 39): *Generatio mala et adultera signum quærit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.*

12 Quare sufficiunt nobis signa et miracula præterita, quorum virtute Ecclesia fundata est et tot sæculis conservata, ut ea ulterius iterare necesse non sit: cum in suo effectu appareant evidenter, id est, in conversione et conservatione fidei in tot gentibus et populis, ut optime inquit D.Thomas (I *Contra Gent.* cap. 6).

13 IV. Relicto ergo hoc praedicationis modo extraordinario et præter regulas communes, et assumendo solum signum Jonæ prophetae, id est, miracula jam praeterita, et doctrinam prophetarum atque Apostolorum; *secunda* et ordinaria via praedicandi et defendendi fidem contra paganos, est per viam persuasionis et disputationis. *n·9

14 Contra sapientes enim et majores inter gentiles disputatione procedendum est, ut inter fidem nostram et eorum sectam excellentia doctrinae nostrae demonstretur.

15 Erga minores autem et simpliciores persuasione utendum est, per varias similitudines, exempla et parabolas, per promissiones vitae æternæ terroresque damnationis perpetuae, et alia similia. Nam et de ipso Domino dicitur *{Mat.* 13, 34) quod *in parabolis loquebatur ad turbas, sine parabolis non loquebatur eis.*

16 Quamvis autem juxta singulas sectas *specialiter* disputandum sit juxta speciales errores qui in tali secta docentur, de quibus in variis materiis theologiae agendum erit, nunc solum *in generali* proponendae sunt nobis viae quibus fidei nostrae excellentia respectu omnium aliarum sectarum ostendi potest, praesertim disputando cum sapientioribus gentilium qui, si reducantur ad fidem, facile cæteros simpliciores reducent.

17 Maxime autem curandum est, ut dixit Div. Petrus ad Clementem *{Recognitiones,* Lib. I, n. 16) ', "ut fides de Christo possit omni cum examinatione probari; et cum eum cognoverint de reliquo cuncta ei credantur; nec ultra discutere eum per singula quæ docuerit, sed habere firma et sancta quae dixit". Quibus verbis docemur non esse laborandum

' PG 1,1215.

in singulis articulis fidei discutiendis pro prima prædicatione gentilium, sed maxime probandum de Christo et de ejus fidei fundatione: inde enim facile constabit omnia alia esse credenda quæ ipse dixit.

* * *

18 V. Igitur triplici medio potest *generaliter* probari excellentia nostræ fidei contra paganos.

19 **Primo,** *per viam negationis,* scilicet solvendo rationes quibus nostram fidem impugnant et impossibilem reputant, juxta illud (I *Pet.* 3, 15): *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.*

20 Hoc enim nulli alteri doctrinæ contingit quod scilicet doceat aliqua excedentia cursum ordinarium causarum naturalium, et tamen possit de omnibus illis reddere rationem et defendere quod non sit impossibile: sicut fit in fide nostra per totam theologiam, quæ ad hoc præcipue dirigitur. Et ideo inquit D. Thomas (Γ, q. 32, à. 1), quod ad fidem sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides. De quo etiam videri potest (Ia, q. 1, a. 8).

21 **Secundo,** potest procedi *per rationes positivas.*

22 Nam vel gentiles errant in his quæ naturaliter de Deo demonstrantur, ut quod sit unus, quod actus purus, infinitus, etc.: et tunc per rationes naturales docendi sunt, etiam per demonstrationem, ut exinde facilius manuducantur ad credenda ea quæ sunt fidei. Sicut Paulus *{Act.* 17) cum Areopagi disputaret de fide nostra coram philosophis, prius per rationem naturalem et discursum probavit dari unum Deum ejusque immensitatem, deinde manuduxit eos ad mysterium resurrectionis in Christo.

23 Si vero gentiles in his quæ Dei sunt non errent, non oportet in hoc laborare; sed ex his quæ per naturalem rationem de Deo sentiunt, possunt persuasive deduci ad ea quæ fides de Deo tradit. Et potest excellentia nostræ fidei ab effectibus ostendi, ut a miraculis, puritate, sapientia, integritate, etc. Et e contra, aliarum sectarum potest ostendi vel impuritas, vel ignorantia, vel imperfectio.

24 **Tertio,** potest procedi contra gentiles per *similitudines et exempla,* quibus res fidei fiant perceptibiles licet non demonstrabiles: sicut docet D. Thomas (I *Contra Gent.* cap. 8) quod "humana ratio ad cognoscendam fidei veritatem ita se habet quod ad eam potest aliquas veras similitudines colligere, quæ tamen non sufficiant ad hoc quod prædicta veritas quasi demonstrative, vel per se intellecta comprehendatur: utile tamen est ut in hujusmodi rationibus, quantumcumque debilibus, se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel ^demonstrandi præsumptio; quia de rebus altissimis, etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere jucundissimum est".

* * *

CIRCA PRIMUM MEDIUM

25 VI. Ad ^olvendum rationes quæ *in particulari* possunt fieri contra singula mysteria nostræ fidei ab infidelibus, sufficient ea quæ in singulis materiis theologicis, ubi agitur de istis mysteriis fidei, tractabuntur; et a D. Thoma latissime adducuntur in libris *Contra Gentiles.* n. 19

26 Possumus tamen ex hoc formare rationem ad probandum excellentiam nostræ fidei contra paganos et infideles, in hunc modum. Quæcumque alia secta seu doctrina infi-

delium, si aliquid docet de rebus divinis præter id quod ex naturalibus effectibus et per philosophiam de prima causa demonstrative cognosci potest, labitur in fabulas, et res indefensabiles et ridiculas secundum lumen naturæ; nostra autem fides plura docet excedentia captum humanum, et tamen omnia defendere potest, ita ut non contradicant principiis luminis naturalis; ergo sola fides nostra excellit supra omnem aliam doctrinam, et efficitur digna creditu supernatural! modo.

27 **Major** in primis asserta est a Christo Domino *{Joan.* 10, 8) : *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt et latrones;* quod non essent si veritatem attigissent in his quæ ad Deiim pertinent. Et *{Ps.* 118, 85): *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non sicut lex tua.* Et hoc constat, quia omnes aliæ doctrinæ, *vel* cognoscunt unum Deum æternum et infinitum sicut ex effectibus naturalibus demonstrari potest, *vel* non.

28 Si hoc secundum, ut plerique ex gentilibus etiam philosophis senserunt, existimantes dari plures deos, manifeste errant etiam in naturali scientia; et docendi sunt, antequam fides supernaturalis eis proponatur, de errore in philosophia naturali circa cognitionem Dei: de quo videri possunt quæ adduximus circa VIII *Phys., q.* 24, et attingemus circa quæstionem 2 D. Thomae et alias sequentes.

29 Si vero dicatur primum, sicut revera multi antiquorum philosophorum cognoverunt dari unum solum Deum, ut videri potest apud Cyrilllum *{Contra Julianum imperatorem* Lib. I) i; Clementem Alexandrinum *{Protrepticus,* cap. 6)2;

1 PG 76, 535 sq.
2 PG 8, 172 sq.

Lactantium *(Div. Instit.,* Lib. I, cap. 6) Theodoretum *(Graec. affect, curatio,* Lib. II)1 Et manifeste deducitur ex illo *(Rom.* 1, 20-21): *Invisibilia Dei. . . per ea quæ jacta sunt, intellecta, conspiciuntur:. . . sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorijicaverunt.* Plures tamen ex his philosophis, circa ea quæ ad Deum pertinent erraverunt. Sicut Aristoteles posuit mundum esse creatum ab æterno};*et Deum agere ex necessitate naturæ «. Alii Deum corporeum fecerunt. Plures circa finem ultimum hominis omnino erraverunt, ponentes beatitudinem in corporalibus fortunis vel deliciis: ut etiam posuit secta Mahumetanorum, quam multas fabulas immiscuisse docet D. Thomas (I *Contra Gent.,* cap. 6); et videri potest S. Damascenus *(De Hæresibus)* 5 et Euthymius *(Panoplia,* tit. 28) », ubi plures de hac secta fabulas recenset. Et eodem modo apud infideles quibus nunc prædicatur fides, ut apud Indos et Sinas aliasque nationes, mille figmenta et fabulæ reperiuntur in his quæ docent de diis suis, sicut etiam fuerunt multæ fabulæ apud Græcos et alios gentiles, qui multa commentitia et fabulosa de diis scripserunt.

30 Unde non fuit secta aliqua, quæ etiamsi unum deum cognoverit, non multa fabulosa et indefensabilia miscuerit, aut circa ea quæ Dei sunt, aut quæ ad mores hominum pertinent.

31 VII. **Minor** vero argumenti facti, quod scilicet fides n. 26-

1 PL 6, 138 sq.
' PG 83, 836 sq.
3 Cf. J. a s. Thoma, *Curs. Phil.,* II, 477 a 3-5; III, 279 a 2-25 (Reiser).
* *Ci.* Sylv. Ferr., in II *Cont. Gent.* cap. 23.
' PG 94, 770 sq.
• PG 130,1334,1341 sq.

nostra sufficiat se defendere et reddere rationem de his quæ docet, constat ex tota theologia ubi redditur ratio, et defenditur a calumniis quidquid fides circa mysteria divina proponit, praesertim in difficilioribus articulis Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ et similium; cum hæc omnia regulentur penes infinitatem naturæ divinæ ejusque omnipotentiam et amorem, ac benignitatem erga suas creaturas. Et sic fides nostra non destruit lumen naturæ, sed perficit et elevat ad sentiendum de Deo et ejus operibus multo altiori modo quam limitata et constricta natura creaturarum postulat. Unde ipsum lumen naturæ manifeste docet quod, cum Dei potentia sit infinita, plus in illa latet quam nos possimus apprehendere. Et sic sublimiori et ineffabiliori modo sentiendum est de his quæ Deo attribuuntur et conveniunt, quam de his quæ creaturis: cum illa natura sit infinita, ista finita.

32 In his autem quæ pertinent ad ultimum finem et beatitudinem hominis, congruentissime ad lumen naturale ostendit nostra fides, nullo modo posse consistere in aliqua re hujus vitæ: *tum* quia plena est miseriis, et sic nihil est in illa felicitatis perfectæ; *tum* quia etiamsi omnibus bonis abundaret, tamen morte ipsa finitur; *tum* denique quia beatitudo debet pertinere ad excellentiorem partem hominis, quæ est intellectiva, cum beatitudo sit maxima hominis perfectio: intellectus autem maxime perficitur in abstractione a rebus materialibus, cum ipse spiritualis et immaterialis sit. Unde oportet beatitudinem inveniri potius in alia vita post mortem, ubi intellectus est liber ab ista corruptione et materialitate.

33 Unde consequens est optime docere nostram fidem, id quod infidelibus et paganis durissimum est credere: scilicet omnia hujus vitæ deliciosa et appetibilia contemnenda esse, cum maxime impediant et intricent hominem in his quæ

ad operationem intellectus et spiritus pertinent, et ridiculum sit temporalibus inhaerere omittendo æterna, seu immaterialia et spiritualia, in quibus perpetuo vivendum est post hanc vitam.

CIRCA SECUNDUM MEDIUM

34 VIII. Rationes positivæ quibus res fidei possunt ostendi et explicari infidelibus, sunt in duplici genere. *Quaedam* versantur circa ea quæ sunt præambula ad fidem, et naturali ratione de Deo demonstrantur; ut quod Deus sit unus, et quod hominibus restet alia vita post mortem. Nam quod Deus in quantum unus, et quoad ea quæ cognoscuntur de eo lumine naturali, se habeant ut preambula ad fidem, docet D. Thomas (IIa-IIae, q. 1, a. 5 ad3). *In secundo ordine* sunt rationes quæ credibilitatem ipsam rerum fidei persuadent, licet veritatem ipsam de Deo non ostendant, sicut miracula, impletio prophetiarum, testimonia martyrum et similia: quæ non sunt ratio formalis fidei, sunt tamen signa manifestantia credibilitatem fidei.

¥ ¥

35 IX. **Quantum ad primum,** antequam fides proponatur infidelibus, prius convenit scire an errent circa ea quæ ratio naturalis de Deo potest assequi. Quod si errent, existimando v.g. quod non est unus Deus sed plures, aut quid simile, oportet prius ipsis demonstrare ex ipsa naturali ratione istas veritates: quamdiu enim ratio in naturalibus non est purgata et recte disposita, fidei semina minus bene percipiuntur [1]

1 cf. *Mat.* 9, 17.

36 Et hoc modo Paulus prædicationem fidei Atheniensibus proposuit *{Aci.* 17, 22-32), ostendendo prius ex naturali ratione dari unum Deum immensum, et supremum Dominum, nullis idolis seu imaginibus similem. Et deinde manuduxit ad res fidei, scilicet ad resurrectionem mortuorum et finale judicium: haec enim maxime movent homines ad fidem amplectendam, quia sunt duo maxima bona, alterum timendum, scilicet judicium, alterum desiderandum, scilicet resurrectio et aeterna vita.

37 Similiter Beatus Petrus ut refert S. Clemens *{Recognitiones,* Lib. IV)*]*, a providentia divina ejusque rectitudine, incœpit gentilibus praedicare. Unde optime Ambrosius *{In Luc.,* Lib. VI, η. 104) u "Nos, inquit, cum aliqui ex gentibus vocantur ad Ecclesiam, ita praeceptorum seriem formare debemus, ut primo unum Deum auctorem mundi omniumque esse doceamus in quo vivimus et sumus et movemur, cujus et genus sumus; deinde opinionem illam, quæ est de idolis, destruamus, et quod non possit auri argentique vel ligni materia vim habere divinitatis. Cum unum Deum esse persuaseris, tunc judicio ejus adstrues per Christum nobis salutem datam, incipiens ab illis quæ gessit in corpore: et ea divina describens, ut plus quam homo fuisse credatur, victam unius virtute mortem, mortuumque ab inferis suscitatum; paulatim enim fides crescit, ut cum supra homines fuisse videatur, Deus esse credatur".

38 Quapropter ministrum evangelii pro infidelibus oportet in his metaphysicalibus esse satis instructum, et demonstrationes istas scire, præsertim quæ pertinent ad manifestandam Dei unitatem ejusque perfectionem. De quibus agemus

[1] PG 1, 1319.
[2] PL 15, 1696.

in hac prima parte a quæstione 2 usque ad 11, et aliquid tactum est in VIII *Physicorum,* et late D. Thomas agit in toto primo libro *Contra Gent.*

39 Quod vero anima nostra immortalis sit, et post hanc vitam permaneat, late ostendimus in libris *de Anima* (q. 9); et D. Thomas ostendit in hac prima parte (q. 75) et (II *Contra Gent.,* cap. 79-95).

40 Et ita circa ista duo principalia capita, scilicet unitatem Dei, totius creaturæ auctoris, et immortalitatem animæ, oportet maxime laborare per rationem naturalem prædicatorem evangelicum.

41 X. Quomodo vero ex his manuducantur ad ostendendam fidei nostræ excellentiam, non erit difficile intelligere, argumento deducto ex discursu Apostoli *(Rom.* 1, 18-19) ab illis verbis: *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.*

42 Si enim semel cognoscimus, etiam ratione naturali, dari tinum summum Deum omnis creaturæ auctorem, et similiter post mortem restare nobis aliam vitam, quæ perpetua est et gubernationi etiam Dei subest: stultissimum est non acceptare illam legem seu doctrinam tamquam inter cæteras excellentiorem, quæ de re adeo nobis necessaria, sicut est de cognitione et cultu istius summi Dei et de felicitate vel miseria vitæ illius perpetuo duraturæ, principaliter curat, nosque instruit et admonet.

43 Quod non faciunt aliæ sectæ quæ veritatem Dei in injustitia detinent. Siquidem *vel* colunt idola, seu plures deos,

et sic negant unum summum Deum, quod est contra rationem naturalem, ut ostendetur infra (circa quaest. 2 et 11 D. Thomæ); *vel* non curant de his quæ post mortem hominibus restant, sicque non glorificant Deum, neque præmia ab ipso neque pcenas expectantes; *vel* si aliquas poenas et præmia post hanc vitam fatentur, mille fabulis et ridiculis narrationibus ea miscent, ut apud gentilium et Mahumetanorum fabulas videre est; nec seriosam rationem de his reddunt, sicut reddit lex nostra quæ omnino rationabiliter et pure circa illa loquitur, ut in his theologicis materiis, et præsertim tractando de visione Dei et fine ultimo, videbitur.

44 Sed solum attendunt ad ea quæ sunt præsentis vitæ, quæ omnia sunt fortunæ casuique subjecta, et communia bonis et malis: unde in his non potest poni præmium vitæ rationalis et virtutis, sed magis vita ista est tempus exercendi merita, non habendi retributionem, quia brevissima et mille mutationibus subjecta.

45 XI. Quod si ista duo persuadentur paganis, scilicet de unitate summi Dei, et de immortalitate animæ, et de vita quæ nobis restat post mortem, facile possunt manuduci ad consideranda alia attributa Dei, præsertim summam bonitatem et misericordiam: quam etiam decet esse maxime communicativam, præsertim in *duobus,* scilicet in reparandis defectibus et peccatis, et in manifestando se ipsum per visionem claram, in quo consistit fruitio ultimi finis, et sine quo nunquam creatura intellectualis poterit habere felicitatem et beatitudinem.

46 *Et ex primo,* scilicet ex reparatione defectuum et peccatorum, manuducimur ad considerandam maximam convenientiam Incarnationis, quæ propter redemptionem generis humani facta est. *Et ex secundo* manuducimur ad consi-

derandam supernaturalem communicationem Dei in visione gloriæ, quam expectamus.

47 Et ex his duobus mysteriis, tamquam ex præcipuis, dependent alia multa quæ consequuntur tum Incarnationem ipsam, tum glorificationem, ad quæ manuduci possunt infideles, ut cognoscant nihil absurditatis et incongruentiæ esse in his mysteriis.

48 Nam si semel intelligitur conveniens fuisse ut ipse Deus assumeret naturam humanam, et summo modo illi se communicaret propter redemptionem generis humani et satisfactionem peccati, *in primis* ostendi potest nihil absurdi et impossibilitatis apparere in hoc quod persona Dei infinita et quæ eminenter continet omnes subsistentias creatas, naturam creatam terminet et assumat: ut in Illa, q. 2 et 3 t ostenditur.

49 *Deinde,* decuit valde ut ille Homo-Deus divinis virtutibus maxime polleret, et simul abjectissima quæque pateretur, ut maximam Deo satisfactionem exhiberet, et nos viam humilitatis doceret (de quo D.Thomas Illa, q. 14; et q. 40, a. 3; et q. 46).

50 *Et ex primo* oriuntur mysteria illa quæ ad excellentiam Christi pertinent: ut quod sit natus de Matre Virgine, quod miracula tam multa fecerit, quod in Eucharistia nobis se reliquerit, et multa alia.

51 *Ex secundo* autem deducuntur omnia mysteria quæ pertinent ad passionem et mortem Christi, quam voluntarie assumpsit, et in se permisit propter satisfactionem pro offensa Dei et reparationem totius generis humani. Unde talis mors et passio, licet in se turpissima sit et valde vitu-

perabilis in ordine ad æstimationem hujus mundi, tamen propter talem finem assumpta, scilicet ob bonum totius humani generis et summam Dei gloriam, maxime decet ipsum Deum. Sicut maxime deceret aliquem regem exponere se periculo et morti propter bonum reipublicæ. Et si hoc maxime lauderemus in rege, cur debemus vituperare in Deo? Unde dixit optime Tertullianus *(Adv. Marcionem,* Lib. II, cap. 27) u "assumpsisse Deum quædam sibi indigna, nobis autem necessaria: et ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis".

¥ ¥

52 XII. **Quantum ad secundum** ea quæ credibilitatem n. 34
nostræ fidei maxime persuadent, ad duo capita reducuntur: scilicet ad puritatem doctrinæ, et virtutem miraculorum simul cum aliis circumstantiis quas statim enumerabimus.

53 *Et quidem* **puritas doctrinæ** et rectitudo significatur illis verbis[2]: *Lex Domini immaculata convertens animas.* Hoc enim, inquit D. Thomas (super *Ps.* 18), "ponitur ad differentiam legis humanæ in qua quædam illicita permittuntur, sicut usuræ et prostibula: non enim potest omnia corrigere"; sed lex Domini non est talis, sed est immaculata, id est, omnia mala excludens (Ps. 11, 7): *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Et hoc patet manifeste, quia propter quodlibet peccatum mortale, etiam in corde tantum commissum, docet poenam æternam deberi, et propter veniale poenas temporales. Et sic *nullum innoxium derelinquit,* ut dicitur *(Num.* 14, 18).

1 PL 2, 316.
2 *Ps.* 18, 8.

54 Et sic fides nostra non invaluit in mundo mala aliqua permittendo, vel delicias promittendo, sicut lex Mahumetanorum et plurium aliorum infidelium: sed resistendo appetitui temporalium, et ab his præsentibus avertendo, et solam rationem sequendo; quod est maximum signum veritatis, neque in alia secta (etiam in prædicatione Antichrist!, qui tot portenta [1] faciet) hujusmodi puritas doctrinæ reperietur.

55 Et hinc constat, quod sit *convertens animas,* quia non tantum ordinat de actibus exterioribus, sicut lex humana, sed etiam de interioribus. Præcipitur enim *(Mat.* 5, 21) non solum non occidere, sed etiam non irasci; non solum non adulterari, sed neque videre mulierem ad concupiscendum, et alia similia. Et sic tota prædicatio fidei maxime ordinatur ad conversionem animarum, ut *(Act.* 3, 19): *Pœnitemini igitur, et convertimini,* et *(Act.* 17, 30): *Et tempora hujus ignorantiae despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant,* etc. Quæ omnia non fiunt propter aliquod bonum corporale, aut temporale commodum hujus vitæ, sed solum propter bonum spirituale animæ et ad vitam æternam conducens. Et sic inter omnes leges est excellentior.

56 XIII. **Secundum caput,** scilicet ex parte miraculorum. *n. 52
Oportet considerare miracula non quomodocumque, ut sunt quædam portentosa opera et extraordinaria: sic enim contingit dari multa miracula fallacia, quæ etiam fecerunt et facient pseudo-prophetæ, juxta illud *(Mat.* 24, 24): *Dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi;* et de Antichristo (II *Thess.* 2, 9): *Cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus.*

[1] cf *Mat.* 24, 24.

57 Quare miracula nude sumpta, abstrahendo a veris vel falsis, non sunt primæ probationes nostræ fidei: sed ipsa miracula etiam indigent probari utrum sint vera, vel falsa miracula. Quæ discretio sumenda est, *lum ex ipsa substantia* miraculorum, quando talia sunt quæ a solo Deo possunt fieri, ut suscitatio mortui, illuminatio cæci, immutatio corporum coelestium, et similia; *tum ex circumstantiis ipsis* quibus nulla miracula falsa vestiri possunt. Et ex omnibus istis simul sumptis fit evidentia manifesta credibilitatis fidei nostræ super omnes alias sectas.

58 *Ex substantia ipsa* miraculorum discernuntur miracula vera a falsis quando constat aliqua totam vim naturæ excedere, ut sunt prædicta, et alia similia.

59 Quod si aliquando arte dæmonis videtur fieri suscitatio mortui, aut illuminatio cæci: vel non erat vere mortuus, vel non fuit vere suscitatus; sicut etiam, ut infra dicemus, ✠■ 123 si aliquando aliquis cæcus est illuminatus, non fuit vere cæcus. Et constat quod si quando videtur aliquod corpus mortuum opera dæmonis tamquam vivum apparere, non diu durat, nec opera vitalia exercet, sicut exercent qui a Deo vel ab ejus sanctis suscitantur. Solum enim possunt dæmones facere aliqua mirabilia ex motu locali et applicatione causarum naturalium: sicut possunt facere quod ignis descendat de cœlo, quod aqua non effundatur deorsum, quod ranæ vel serpentes nascantur, quod imago aliqua loquatur, et alia similia: quæ non sunt miracula, licet sint mira, quia fiunt per concursum causarum naturalium.

60 Miracula etiam dæmonum non multis temporibus continuantur, miracula autem Ecclesiæ per tot sæcula durant: neque enim unquam cessat in ea donum miraculorum. Et in hoc maxime ostendit Deus veritatem fidei,

quia vult eam probari per tot saecula: quod semper refugit falsa doctrina.

61 Quare D. Thomas (Illa, q. 43, a. 4) ostendit tria concurrere in miraculis Christi, quæ evidenter ostendunt fuisse vera miracula, et a solo Deo facta: scilicet substantia ipsa aliquorum miraculorum, ut suscitatio mortui, illuminatio cæci, etc.; deinde, modus faciendi, scilicet solo imperio et propria potestate, et in tanta multitudine et continuitate miraculorum; et tertio, ex ipsa doctrina qua dicebat se Deum, faciendo talia miracula vera: Deus enim veris miraculis non confirmaret falsitatem.

62 XIV. *Ex circumstantiis* autem cum quibus fiunt mira- n. 57
cula, maxime ostenduntur illa fuisse vera, et veram doctrinam comprobasse.

63 Nam in primis oportet in miraculis attendere circumstantiam finis: fiunt enim falsa miracula ad quærendam propriam gloriam, vera autem ad fugiendam, et ad veram virtutem quærendam. Unde dicit Apostolus *(Heb.* 2, 3-4), de doctrina fidei, quod *in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Ubi aperte significatur non esse attendenda sola miracula, sed etiam virtutes et distributiones Spiritus Sancti: in hoc enim tendunt miracula ut Spiritus Sancti gratia detur et stabiliatur.

64 At vero de miraculis Antichristi dicitur (II *Thess.* 2, 9-10) quod *veniet in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis.* Est ergo finis illorum miraculorum iniquitatis seductio, non distributio Spiritus Sancti. Et maxime hoc constat, quia qui similia miracula

falsa efficiunt, propriam gloriam quærunt. Unde dicitur [1] quod Antichristus veniet in nomine suo, et illum recipient Judæi.

65 Similiter dæmones quando faciunt aliqua mirabilia, propter superbiam id faciunt ut tamquam dii habeantur. Unde dicit Augustinus (*De Civit. Dei,* Lib. XXII, cap. 10)[2], quod si qua fecerunt dæmones mira, sicut magi Pharaonis, "fecerunt tamen illa dæmones eo fastu impuræ superbiæ, quo eorum dii esse voluerunt; faciunt autem ipsa martyres, vel potius Deus, ut fides illa proficiat qua eos non deos esSe nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus". Et subdit: "Quibus igitur potius credendum est miracula facientibus? Eisne, qui se ipsos volunt haberi deos ab his quibus ea faciunt; an eis qui, ut in Deum credatur, quod et Christus est, faciunt quidquid faciunt?"

66 Quare ex fine intento in miraculis faciendis, tamquam a fructibus eorum, cognoscemus eos. Quia nostra miracula non respiciunt propriam venerationem aut vanitatem, sed solum gloriam Dei; miracula vere ficta, imo et quæcumque aliæ sectæ, solum gloriam propriam quæsierunt. Unde recte Cajetanus super illa verba Christi (*Joan.* 17, 22): *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis,* admonet quod illa gloria seu claritas est "quod ipse Jesus venit non quærens gloriam propriam, et propagaturus nomen suum, sed nomen et gloriam Patris, quæ utique etiam est sua; et hanc claritatem contulit discipulis, ut ipsi solam gloriam Dei quærerent, sola Dei gloria delectarentur; in hoc enim succubuerunt omnes philosophi et magnates mundi, quantumcumque viderentur prædíti virtutibus".

[1] Cf. *Joan.* 5, 43.
[2] PL 41, 772.

67 XV. *Dices:* Christus Dominus etiam ad hoc miracula faciebat, ut haberetur tamquam verus Deus; ergo in hoc nulla est discretio a miraculis Antichristi vel aliorum qui etiam miracula faciunt ut habeantur pro Deo.—Plurimi etiam Christiani propriam gloriam quærunt in sapientia, et in virtute.

68 *Respondetur:* miracula Christi cum summa humilitate fuisse conjuncta, et fuga omnis honoris, eligendo potius contemni et vilipendi, quantum attinet ad gloriam hujus mundi. Unde ipse dixit: *Si ego glorifico me, gloria mea nihil est {Joan.* 8, 54); et iterum ›, quod *non veni ministrari, sed ministrare;* et *{Joan.* 18, 36) : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Semper ergo fugit honorem mundi: unde maxime humiliavit se, usque ad turpissiman et acerbissimam mortem. Et sic in manifestanda sua divinitate nullo modo quæsivit ambitionem et manifestationem honoris, sed potius tanta fuga honorum fuit testimonium proprium divinitatis, ita ut opera ipsa testimonium perhiberent de eo. Cum tanta autem humilitate et fuga honorum facere miracula, et ostendere se fuisse missum a Deo et esse Deum, maxima probatio est; Antichristus autem et alii similes non volunt vilipendi et contemni, sed maxime quærunt honorari; et sic veniunt in nomine suo, non Patris.

69 Quod vero plures Christiani quærant gloriam propriam, ¶ 67. non officit; quia in hoc non imitantur Christum, nec juxta ejus regulam ambulant, sed ab ea deficiunt: "Unde ex personis non æstimamus fidem, sed ex fide personas," ut bene dixit[2] Tertullianus.

[1] *Mat.* 20, 28.
[2] *De Prescript,* cap. 3, PL 2,15.

XVI. Accumulantur denique *aliae circumstantiae,* quæ cum tantis et tam continuatis miraculis conjunctæ faciunt
70 evidentiam de maxima credibilitate et excellentia nostræ fidei. Nam concurrit prædictio multorum oraculorum et prophetarum et Sibyllarum, et eorum adimpletio: quod nulli alii sectæ contigit; nam de nulla sic prædictum est sicut de nostra: si enim de Antichristo prophetatum est, ad hoc est ut caveamus ab illo.

Adimpletio autem prophetiæ et prædictionis, maximum signum est veritatis, ut dicitur *(Deut.* 18, 22). Unde Au-
71 gustinus *(De Civit. Dei,* Lib. XXII, cap. 6) [*] "Exceptis, inquit, tot tantisque miraculis quæ persuaserunt Deum esse Christum, prophetiæ quoque divinæ fide dignissimæ præcesserunt, quæ in illo non sicut a patribus adhuc creduntur implendæ, sed jam a toto mundo demonstrantur impletæ. De Romulo autem, quia condidit Roman in eaque regnavit, auditur, legitur: non quia factum est quod ante fuisset prophetatum; sed quod sit receptus in deos, creditum tenent litteræ, non factum docent: nullis quippe veris rerum mirabilium signis id ei vere provenisse monstratur". Et videri etiam potest Augustinus *(Contra Faust.,* Lib. XIII, cap. 14) ».

72 XVII. *Item est alia circumstantia* probans veritatem nostræ fidei, scilicet tanta multitudo testium: sicut doctissimi, et sapientissimi homines et sanctissimi, qui ad hanc fidem accesserunt, ideoque non rudioribus sed cultioribus sæculis.

73 *Item* effusio sanguinis multorum martyrum, non uno vel altero anno aut tempore, sed omnibus sæculis; et hi omnes

[*] PL 41, 758.
? PL 42, 290.

non adducebantur ad fidem ullo favore humano blandiente vel terrore coacti, sicut ponderat Augustinus *(De Civit. Dei,* Lib. XXII, cap. 6) [1], quod Romulus a multis recipiebatur ut deus metu Romani nominis, sicut etiam recipietur Antichristus. At vero Christus nullo metu terrente est receptus, et multo terrore persequente et urgente non est desertus: sed pro illo mortem et durissima tormenta martyres toleraverunt. Quod si aliqui etiam pro suis sectis pertinaciter occubuerunt, tamen neque talia multo tempore duraverunt, sicut martyres in omni Ecclesiæ sæculo floruerunt; neque illis suffragabantur miracula, sanctitas et morum puritas, atque sapientia et doctrina, sicut nostris martyribus.

74 *Ad hsec* testificatur nostram fidem multarum et gravissimarum persecutionum victoria, sola patientia, nulla potentia, non armis nec favore hominum: ipsius etiam paupertatis abjectionisque rerum sæcularium amor, et mortificatio numquam fastidita per tot et tam longa tempora. Nam contra hæc omnia fidem prævalere sine alio adminiculo, sed sola sua veritate proposita, maximum signum est indubitatæ certitudinis.

75 *Accedit* Apostolicæ Sedis, quæ ista omnia prædicat atque subministrat, inter tot adversa, firmitas et perseverantia, adversus quam portæ inferi prævalere non possunt: de quo dicemus articulo tertio. * *n. 287 sq<

76 XVIII. *Denique,* interior mentium inspiratio et immutatio, etiam sine novis miraculis, quod inter maxima miracula a D. Augustino et D. Thoma computatur, maximum habet robur.

1 PL 41, 757-758.

77 Nam ut argumentatur Augustinus *(De Civit. Dei,* Lib. XXII, cap. 5 et 8) [*], vel ea quæ fides nostra dicit sunt credibilia, vel incredibilia. *Si credibilia,* ergo credi debent: præsertim cum tam magna et coelestia promittant post hanc vitam. *Si incredibilia,* quomodo a tot viris, tam magnis, per tot sæcula, eaque non barbara sed valde exculta, tanto examine sapientium, tanta disputatione contendentium credita sunt? Certe hoc est maximum miraculorum quod sine miraculis credatur; est enim certum indicium inspirationis divinæ.

78 Unde ut inquit D. Thomas (I *Contra Gent.* cap. 6): "Haec tam mirabilis conversio mundi indicium est certum praeteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Etenim omnibus signis mirabilius est, si ad credendum tam ardua, et ad operandum tam difficilia, et ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus".

79 Quem locum ponderans recte Cajetanus (Illa, q. 43, a. 4) : "Adverte, inquit, ex libro I *Contra Gent.* cap. 6, quod aut conceditur Christum fecisse miracula relata in Evangelio, aut non. *Si conceditur·,* habetur illius deitas, ut patet ex prædictis illis tribus conjunctis" (scilicet quod sint vera miracula quoad substantiam, quod tanto imperio et continuatione facta, quod in probationem suæ divinitatis). *"Si non conceditur:* tunc habetur etiam illius deitas ex hoc maximo miraculorum quod pauperculus, juvenis, indoctus, ex gente exosa (Judæus scilicet), persecutionem cum tot injuriis et mortem turpissimam passus, derelictus, dicens se Deum, habitus fatuus a suis, a Judaeis, ab Herode, a

[*] PL 41, 755, 760.

Pilato, absque miraculis, promittens mortem et mala omiiia: post mortem suam per pauperes piscatores, indoctos, exosos omnibus, morti obnoxios, et absque miraculis, contra totum mundum idola colentem pugnans superaverit. Vacate ergo et videte quoniam ego sum Deus." Ita Cajetanus. Quæ certe ratiocinatio demonstratio evidens est in hac materia credibilitatis.

CIRCA TERTIUM MEDIUM

80 XIX. **Tertio** pertinet ad persuadendas res fidei uti [n. 24] aliquibus similitudinibus seu exemplis naturalibus, sive ad explicanda mysteria fidei, sive ad informandos mores. Nam optime manuducitur intellectus ex aliquibus operibus naturæ occultis et mirabilibus, ad credendum quod in Deo et in ejus omnipotentia multo mirabiliora et supernaturalia latent. Nec magnum est si credamus de Deo et ejus potentia tam magna mysteria, si in operibus naturæ tam multa sunt de quibus rationem reddere non possumus. Nam ut dicitur *(Eccli.* 43, 36) : *Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus.*

81 Sic Christus Dominus manuduxit Nicodemum *(Joan.* 3, 8) ad credendum regenerationem spiritualem, exemplo desumpto a vento, quia *spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat; sic est omnis qui natus est ex spiritu;* et Apostolus (I *Cor.* 15, 36-37) explicavit futuram resurrectionem exemplo grani quod seminatur, cujus corpus revirescit in alia forma.

82 Sic etiam sancti Patres et doctores mysteria fidei variis similitudinibus explicare conati sunt. Sicut quod in mysterio Trinitatis [1] Filius sit coævus Patri, exemplo solis emit-

[1] Cf. S. Augustinus, *Serni. ad Popul.,* serm. 117, cap. 8-10, PL 38, 667-668.

tentis lucem, aut corporis generantis imaginem in speculo: hæc enim statim atque sunt, generant lucem vel imaginem. Et de nativitate Christi, salva matris integritate: quod fuit sicut radius transiens per crystallum. Et ad persuadendam resurrectionem et explicandam, multa exempla congregat Tertullianus *{De Resurrectione Carnis,* cap. 12 et 13) 1 et Augustinus *{De Civit. Dei,* Lib. XXI, cap. 4 et 5) 2,* *et* respondet ad ea quæ objiciebant infideles (Lib. XXII, a cap. 13) 3.

83 Et sic pro singulis mysteriis explicandis aliqua ex naturalibus mirabiliora possunt adduci, quæ illi mysterio vel difficultati ejus declarandæ aptiora videbuntur: quæ non possumus hic sigillarim apponere discurrendo per omnia mysteria, sed suis locis fiet, cum de quolibet mysterio disputabitur.

84 XX. Quod vero attinet ad informationem morum constat maxime juvari exemplis et similitudinibus. n-8°

85 *Exemplis quidem,* quia sancti tot nobis exempla praebuerunt quibus accendamur ad virtutem, sicut *{Judith* 8, 22-23) proponuntur in exemplum Abraham, Isaac, Jacob et Moyses; et (I *Mac.* 2, 52-60) plures adducit Mathatias ex antiquis ad persuadendum filiis suis ut fortiter agerent; et Apostolus *{Heb.* 11, 4-33) plures ex patribus enumerat, qui in fide claruerunt.

86 *Similitudinibus* autem proceditur ad instar Christi Domini, qui per multas similitudines et parabolas explicavit

1 PL 2, 810-811.
2 PL 41, 712-716.
2 PL 41, 776 sq.

formam regni Dei, seu Ecclesiæ et fidei; quarum vim et similitudinem si quis conaretur ad vivum explicare, multum proficeret in informatione morum.

* * #

SOLVUNTUR ARGUMENTA

87 XXL **Primo,** argui potest ab infidelibus contra certitudinem nostræ fidei: Quia licet omnibus notissimum sit Deo dicenti et testificanti esse credendum, tamen tota difficultas est in ostendendo quod Deus hoc vel illud dixerit; et ita totum argumentum fit contra instrumentum quo nobis traditur fides divina, scilicet contra propositionem Ecclesiæ et Scripturam. Cum enim dicitur credendum esse quod Deus hoc vel illud dixerit, quia in Scriptura continetur, vel Ecclesia proponit: rursum restat inquirendum unde nobis constat hanc esse veram Scripturam a Deo traditam, et hanc esse veram Ecclesiam, et regulam infallibilem. Respondemus id nobis constare, quia Deus id dixit: et ita circulus committitur in verificanda ista certitudine ab Ecclesia ad Scripturam, et a Scriptura ad Ecclesiam, et ab istis ad testimonium Dei, et a testimonio Dei ad ista.

88 Et fortasse dicat gentilis, cur etiam similiter suis scriptis non credemus, quæ apud ipsos habentur pro authenticis, tractantque de suis diis et eorum cultu, et legibus ad eum observandum? Nam etiam ipsi dicent scripturæ illi esse credendum; aut cur potius Scriptura nostra habenda est pro authentica, quam illa?

89 XXII. *Confirmatur,* quia Scriptura nostra patet multis corruptelis et depravationibus, et translationibus: unde dicitur (II *Pet.* 3, 16), de divinis Scripturis, quod *illas*

instabiles et indocti depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Et constat modo a Sixto V et Clemente VIII, nostram Vulgatam a multis depravationibus purgatam fuisse. Si ergo ista Scriptura erroribus subest et depravationibus, nec nobis de ejus emendatione constat certo per aliam revelationem vel Scripturam: ergo tota fides nostra nutat, si instrumentum quo nobis ministratur, id est, ipsa Scriptura, non constat nobis an sit emendata, et ab omni depravatione et errore libera.

90 XXIII. *Confirmatur secundo:* quia aliquando fuit in Ecclesia dubitabile de aliquibus libris Scripturae, an sint vel non sint canonici, et modo pro canonicis recepti sunt. Ergo ista Scriptura quam vocamus regulam fidei, exposita est dubitationibus et incertitudini: sicque tota fides nutat. Et similiter fides Ecclesiae proponentis; quia ratio quare credo propositionem Ecclesiae, est quia continetur in Scriptura; si ergo Ecclesia dijudicat de Scriptura, an sit certa vel non, dubia vel supposititia, et tota firmitas Ecclesiae ex eo constat quia habetur in Scriptura: sine dubio circulus committitur in hac certitudine fundanda.

©

91 XXIV. **Respondetur** quod ad hoc argumentum dicemus latius infra * (articulo III), eo quod maxime urgetur ab haereticis. *f. 34

92 Interim dicimus, distinguendum esse de ratione formali credendi, et de conditione requisita seu instrumento, quo nobis ratio illa formalis applicatur et proponitur.

93 *Quantum ad rationem formalem credendi,* dicimus nullum committi circulum, quia ratio formalis credendi sistit in

ipso testimonio divino *quia Deus dicit,* nec ultra resolvitur in ratione credendi.

94 Ipsum autem testimonium Dei, quod scilicet locutio ista ipsius Dei sit, etiam per ipsum testimonium creditur, et non per aliud: sicut per eamdem visionem certificamur de re visa et de ipsa visione, quam non videmus sed experimùr. Et in politicis, legi promulgatæ credimus et obtemperamus, quia a rege est, et ministro seu notario testificanti quod a rege sit; credimus ex eadem auctoritate regis, qua illum notarium creavit, de qua tamen nobis non constat nisi per ipsummet notarium de se etiam testificantem. Itaque quando credimus hanc legem habere auctoritatem regis, quia notarius dicit, et hunc notarium esse regis, quia rex ei auctoritatem dedit: non facimus circulum, quia proceditur in diverso genere causæ, a ratione formali ad instrumentum, seu conditionem applicantem, et e contra.

95 Ita ab Ecclesia vel Scriptura ad Deum, et e converso, non est circulus: quia in diverso genere causæ proceditur, scilicet ab instrumento applicante quod est Ecclesia, ad Deum dicentem quæ est ratio formalis, etiam pro ipso instrumento formando.

96 XXV. Cæterum tota hallucinatio et æquivocatio in hac parte est, quia *non solum inquiritur a nobis* unde credimus Deum dixisse; nam si quæritur quare credimus, evidens est responsio data: quod non possumus credere nisi propter ipsam testificationem, auia in credendo non potest ulterius resolvi fides, nisi in testificationem ipsam quæ est ratio credendi se et alia; si vero ulterius resolvitur, jam non est resolutio in credendo, sed in alio genere cognoscendi.

97 *Sed quæritur a nobis,* non unde credimus, sed unde

scimus, aut unde nobis constat Deum dixisse: quasi non sola fides, sed scientia seu evidentia aliqua habeatur de ipsa testificatione divina. Sicut quando credo fide humana alicui mihi dicenti, saltem ipsam testificationem et vocem dicentis evidenter cognosco, licet res quas mihi dicit credam: et de hac simili scientia inouiritur unde nobis constet Deum dixisse, non solum unde constet credendo, sed etiam unde constet sciendo; ét transimus ad aliam rationem formalem, quæ non est fidei sed evidentiæ. Et de hac ratione formali respondemus dogmatice, et secundum quod pertinet ad confirmandam nostram fidem.

98 XXVI. *Ad hoc ergo respondetur,* quod de hoc non habetur evidentia per intrinsecam aliquam rationem quæ faciat evidentiam de ipso testimonio, aut de re testificata; sed quæ faciat evidentiam de credibilitate: quod pertinet ad extrinseca motiva inducentia ad fidem.

99 Et similiter inter ipsa instrumenta proponentia nobis res fidei, unum est alio manifestius. Itaque et est instrumentum proponens, et est motivum faciens credibilitatem[1].

100 **Instrumentum proponens,** aliud fuit in primis fundatoribus fidei, scilicet prophetis et Apostolis, qui quasi notarii Dei et scribæ velociter scribentes[2] et Scripturam authenticam Dei exceperunt et nobis tradiderunt atque Ecclesiam fundaverunt. Et hi habuerunt certitudinem, et constitit illis de certitudine fidei per lumen propheticum, et fortassis habuerunt evidentiam de ipsa testificatione Dei. Et sic dicitur (II *Pet.* 1, 19-21): *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes, etc. . . Non enim volun-*

1 Cf. D. Thomas, *De Ver.,* q. 14, a. 10 ad 11.
2 Cf. *Ps.* 44, 2.

tale humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

101 Aliud instrumentum est in nobis, qui continuamur illis primis fundatoribus, et *superadificamur super fundamentum Apostolorum, etc. (Eph.* 2, 20). Et sic datur triplex instrumentum. *Primo,* Scriptura ipsa, quam tradiderunt et probarunt Apostoli et prophetæ. *Secundo,* ut discernamus quæ sit vera Scriptura, est Ecclesia quæ nobis eam proponit; et hæc est *columna et firmamentum veritatis* (I *Tim.,* 3, 15). Ut autem credamus Ecclesiæ — non pro nobis, sed pro infidelibus: *Qui enim Ecclesiam non audierit, sit tibi ut ethnicus et publicanus {Mat.* 18, 17), — extat *tertio* traditio continuata ab Apostolis usque ad nos; quam evidenter videmus continuari et practicari, eo modo quo datur evidentia in convictu humano.

102 Unde Tertullianus *(De Præscript.* cap. 19) », ostendit in istis dubiis non esse provocandum ad Scripturam, de qua tota dubitatio est unde nobis constat quod sit vera et non adulterata; sed ad Ecclesiarum traditionem, cui nos conformamur et unimur. Et subdit (cap. 21)2: "Quid prædicaverint Apostoli, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam, non aliter probari debere, quam per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt", inter quas caput et magistra est Petri Ecclesia; de qua ibi subdit (cap. 36)3: "Habes Romam unde nobis quoque auctoritas præsto est".

103 Ista autem continuatio et traditio per manus ab Apostolis et Ecclesia usque ad nos, *ex acceptatione universali Ecclesiæ* est indubitatæ et supernaturalis fidei.

› PL 2, 31.
2 PL 2, 33.
« PL 2, 49.

104 Pro iis vero qui Ecclesiam non audiunt, si negetur aut dubitetur de illa, est idem quod revocare in dubium ea quæ evidentissima sunt in convictu humano. Sicut enim nobis constat de successionibus familiarum de regno Hispaniæ vel Franciæ, quod descenderit a talibus regibus, ita quod isti sint veri successores eorum, per solam traditionem illius regni et monumenta antiqua quæ faciunt evidentiam moralem in convictu humano et tollunt omnem hæsitationem: ita ut qui id negaret, scilicet, hos esse veros reges et successores illorum, et hoc esse vere regnum continuatum ab illo, ut insanus haberetur et relinqueretur; ita de successoribus Apostolorum et prophetarum, et continuatione cum ipsis, nobis constat per ipsam traditionem continuatam et antiqua monumenta, quæ *(præter certam Ecclesiæ acceptationem ut regitur a Spiritu Sancto)* evidentia quadam morali in genere supernatural! probant hanc continuationem et derivationem ab Apostolis ad nos, ipsamque traditionem esse divinæ auctoritatis.

105 XXVII. Et hæc de instrumentis proponentibus. — Loquendo autem *de* **motivis credibilitatis,** ista faciunt evidentiam omnimodam non rerum ipsarum, sed credibilitatis ipsius supernaturalis et divinæ, scilicet per miracula et alias circumstantias supra adductas. n. 99 n. 70sq.

106 Quare unico verbo quando inquiritur a nobis, unde constat Deum dixisse; si per ly *constat* intelligatur, unde nobis constat credendo: non est recurrendum ad aliam rationem formalem; sed credimus quia Deus dixit, et per propositionem Ecclesiæ tamquam per instrumentum et conditionem applicativam. Si autem per ly *constat* intelligamus unde nobis constat non credendo, sed sciendo: non potest nobis constare de evidentia clara ipsius revelationis sicut fortasse constitit prophetis et Apostolis; sed constat nobis

evidentia credibilitatis per signa et miracula, et evidentia ipsius continuationis usque ad ipsos Apostolos et prophetas, qui viderunt.

107 Unde infidelibus non ostendimus constare nobis de revelatione facta a Deo per ipsam Scripturam, vel per Ecclesiam: hoc enim esset ridiculum, quia Ecclesiam non audit cum sit ethnicus et publicanus [1]; sed solum probatur evidentia ipsa credibilitatis, et excellentia nostræ fidei per extrinseca signa. Sicut etiam probaverunt illis Apostoli quando eis prædicabant juxta illud *(Heb.* 2, 3-4): *Quæ cum initium cœpisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus.*

108 Ubi manifeste ponitur id quod hucusque diximus: siquidem de revelatione divina constat nobis quia Dominus ipse enarravit; et de hoc quod enarravit, ab eis qui audierunt per derivationem usque ad nos. De hac autem derivatione, quod sit certa, non constat nobis per evidentiam in se, sed recurrimus ad evidentiam credibilitatis per miracula et signa tunc facta, et nunc in effectu et continuatione sua permanentia, secundum circumstantias assignatas: *Contestante,* inquit, *Deo signis et prodigiis,* etc. Unde nunquam committitur circulus, quia semper in diverso genere causæ proceditur.

109 XXVIII. *Quando autem dicitur* quod similiter posset n. 88
gentilis dicere de suis scriptis antiquis, etc.: *respondetur* facile, id non posse dici, quia non concurrunt in scriptis gentilium, quæcumque illa sint, ea quæ in nostra Scriptura. Nam in primis non continent doctrinam ita puram et veram,

1 Cf. *Mat.* 18, 17.

sed aliquas falsitates immiscent, vel in veritate naturali vel in moralibus; aut si aliqua excedentia communem ordinem dicunt, miscent multa fabulosa. Deinde veris miraculis carent aliisque circumstantiis supra positis, quæ nostram doctrinam veram esse comprobant. *n-70 sq.

110 XXIX. *Ad primam confirmationem respondetur*, quod Scriptura potest dupliciter considerari. *Primo,* secundum se, ut est pure instrumentum inanimatum, id est, prout invenitur scripta in chartis et codicibus, quæ secundum se patent corruptelis et depravationibus hominum: et sic, ratione hujus libri materialis in quo continetur et invenitur Scriptura, est certum quod patet multis corruptionibus et depravationibus. n. 89

111 *Alio modo* sumitur Scriptura non præcise ut est in chartis et codicibus istis vel illis, in individuo, sed prout invenitur in pectore Ecclesiæ et in ejus custodia, quæ in se habet principium unde possit corrigere omnes corruptelas Scripturæ; tum propter diversitatem et antiquitatem codicum quos habet; tum propter assistentiam Spiritus Sancti. Et sic Scriptura non patet depravationibus et corruptelis, quia subest correctioni Ecclesiæ et directioni ejus.

112 Et ita est differentia inter hanc Scripturam individualiter sumptam in hoc vel illo codice, et de hac Ecclesia individualiter sumpta cum hoc capite, qui est successor Petri. Nam de Scriptura non constat nobis hunc vel illum codicem non esse vitiatum in individuo, ex vi ipsius Scripturæ; de ista vero Ecclesia in individuo, et de isto capite Romano Pontifice, constat in individuo esse legitimam et infallibilem Ecclesiam: *tum* ex ipsa Scriptura, quæ in individuo designat Petrum pro infallibili capite Ecclesiæ, et consequenter ejus legitimos successores et sine dubitatione acceptatos (quam

acceptationem experimur manifeste quando datur); *tum* ex continuata et perpetua traditione per tot sæcula: quæ indubitatum relinquit Scripturam illam quæ docet Petro traditas esse claves Ecclesiæ, non esse corruptam, sed certam: quia sic semper habita et lecta est, et ab universali Ecclesia proposita, et intellecta ut jacet; de quo IIa-IIæ amplius dicetur. 652 sqq.

113 XXX. *Ad secundam confirmationem dicitur* quod licet aliquando fuerit dubitatum de aliquibus libris an essent canonici, nunquam tamen dubitatum fuit esse in Ecclesia potestatem ad id declarandum, et ad confirmandum fratres in fide; de quo articulo III sequenti. Unde illa dubitatio potuit per omnimodam certitudinem tolli, declarante id et definiente Ecclesia. n-90 n- 301sqq.

* *

114 XXXI. **Secundo arguitur:** Quia miracula non sufficiunt probare certitudinem nostræ fidei, quia etiam qui alias doctrinas docent aliquando faciunt signa et prodigia magna, ut dicitur *{Mat.* 24, 24); et præcipue fient in tempore Antichristi.

115 *Quod si dicatur* illa miracula esse falsa, et nostra vera: *Contra est,* quia de hoc ipso est dubium: siquidem multa aliorum miracula sunt omnino sicut nostra. Nam illuminatio cæci, quæ videtur esse certum miraculum, dicitur facta a Vespasiano principe, ut narrat Tacitus *(Histor.,* Lib. IV, cap. 81). Et resuscitatio mortui significatur facienda ab Antichristo *{Apoc.* 13, 3) dum dicitur: *Quoddam ejus cornu occisum, et plagam mortis ejus curatam.* Et similiter faciet ignem descendere de coelo [*] Et a quadam virgine vestali

[*] Cf. *Apoc.* 13, 13.

fuisse portatam aquam in cribro, sine hoc quod aqua caderet in signum suæ pudicitiæ: refert ex Varrone Augustinus *{De Civit. Dei,* Lib. XXII, cap. 11, n. 3) ›.

116 *Quod si dicatur* illa miracula dici falsa non in se, sed quia falsam prædicant doctrinam, cui non est credendum etiam si vera miracula faciant: *Contra est,* quia in hoc enervatur tota nostra doctrina, siquidem jam fatemur posse veris miraculis confirmari falsam doctrinam. Et committimus circulum, dum probamus nostram doctrinam esse veram quia miraculis comprobatur, et rursus miracula esse vera quia nostram doctrinam confirmant.

117 *Confirmatur:* quia modo cessaverunt miracula, etiam cum prædicatur infidelibus; miracula autem, quæ ab initio facta sunt, illis non constant: nec possumus ea probare per Scripturam, quia infideles illam non recipiunt, sicut nec fidem; per historias autem humanas id probare, est niti auctoritate fallibili; ergo ista probatio [per miracula] deficit.

Θ

118 XXXII. **Respondetur:** certissime tenendum esse quod miracula quæ fiunt a pseudoprophetis et fient ab Antichristo esse falsa et *mendacia,* ut dicitur (II *Thess.* 2, 9).

119 Quæ dicuntur *mendacia,* ut ibi explicat D. Thomas *(led.* 2), vel quia deficiunt a vera ratione facti, ut cum fiunt per illusionem et deceptionem; vel quia deficiunt a vera ratione miraculi, quia scilicet non transcendunt totum ordinem naturæ, licet in se sint valde mira; vel quia deficiunt

1 PL 41, 774.

a debito fine miraculi, quia fiunt propter aliquam seductionem iniquitatis.

120 Ad discernendum autem ea quæ sunt vera miracula, id est, supra totam vim naturæ, ab his quæ præter ordinem naturæ sed tamen per applicationem causarum naturalium ab aliquo spiritu creato fieri possunt quantumcumque mira (quod non sufficit ad rationem miraculi, ut docet D. Thomas, Ia, q. 110, a. 4): debemus attendere, vel ad ipsam substantiam rei factæ, vel ad ipsum modum faciendi.

121 *Ad ipsam substantiam reijactæ:* sicut omnes illi effectus, qui per causas naturales non possunt induci, sicut est resuscitatio mortui et illuminatio cæci, quando vere fiunt, aut etiam immutatio corporum coelestium. Sunt etiam alii effectus magis supernaturales, ut quod duo corpora penetrentur, et corpus humanum reddatur gloriosum, quæ D. Thomas ponit inter miracula primæ classis (Ia, q. 105, a. 8). Sed quia ista miracula fiunt occulte, non ita probatur per illa sensibiliter certitudo nostræ fidei sicut per miracula quæ sensibilem mutationem faciunt in corporibus. Unde D. Thomas (Illa, q. 43, a. 4 ad 1um) docet ex Augustino [1] quod nulla in operibus Christi videntur esse majora quam suscitatio mortuorum. Et similiter se habet illuminatio cæci a nativitate, unde dicitur (*Joan.* 9,32): *A sæculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* Quare semper invenientur aliqua miracula facta in nostra fide ita excellentia, quod similia non sunt facta unquam in alia secta, nec possunt fieri nisi sola virtute divina. Et illa sufficienter probant veritatem nostræ fidei, quia Deus non potest in confirmationem falsitatis miracula facere: sic enim speciali concursu, ad peccatum et ad falsum confirmandum Deus concurreret.

1 S. Augustinus, *In Joan.,* tract. XCI, super 15, 24. PL 35,1861.

122 *Ex modo autem faciendi miracula,* etiam discerni possunt miracula vera a falsis. Quia ea quæ per causas naturales, et per motum localem applicativum earum alias fieri possunt ab Angelo vel dæmone, fiunt etiam divinitus, sed excellentiori modo: scilicet non per motum localem, et applicando activa passivis, sed solo imperio aut verbo vel visu; quod est proprium Dei, qui *dixit et facta sunt* [1] Sicut Christo imperante ventis, cessavit tempestas[4], et imperando leproso mundatus est [3], et imperando febri dimisit socrum Simonis [«].

123 XXXIII. *Ad exempla* vero quæ in particulari adducuntur in argumento, negamus factam aliquando fuisse *veram* resurrectionem mortui, aut illuminationem cæci virtute diaboli. Sed si quis *apparenter* resuscitatus est, vel non erat ille vere mortuus, sed simulatorie; vel cadaver motu dæmonis erectum fuit et videbatur ambulare, sed vere non vivebat. ñ. U5

124 Sicut legitur de Simone mago, quod facit hominem decollari, et postea apparuit vivus [6] per illusionem sensuum. Unde similes mortui nec diu possunt durare, nec actiones vitales exercere. Qui autem resuscitantur virtute divina aperte visi sunt eodem modo exercere actiones vitales sicut antea, idque non ad horam, sed diu et per multum tempus. Unde Augustinus *(In Joan.,* tract. L, n. 5) [«] loquens de Lazaro resuscitato discumbente: "Lazarus, inquit, erat unus ex recumbentibus, vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur". Ex isto ergo exercitio vitalium actionum, veritas resurrectionis ostenditur.

[1] *Ps.* 148, 5.
[2] Cf. *Mat.* 8, 26.
[3] Cf. *Mat.* 8, 3.
[4] Cf. *Luc.* 4, 39.
[5] Cf. Acta SS. Junii V, 427, n. 9; *Actus Petri cum Simone,* cap. 25,28.
[6] PL 35,1760.

125 De illuminatione cæci facta a Vespasiano, constat illum non fuisse cæcum simpliciter, neque a nativitate, sed obnubilatos habuisse oculos. Unde enim ibidem refert Tacitus [1], Vespasianus consuluit medicos, an talis cæcitas et debilitas ope humana superabiles forent. Et medici dixerunt huic non exesam vim luminis, et redituram si pellerentur obstantia. Quare illa non fuit cæci illuminatio, sed curatio oculorum ab impedimentis ad videndum, quæ arte medica, licet difficulter, curari poterant; sed arte dæmonis facillime procuratum est. Fortasse etiam totum illud fuit impostura aliqua Apollonii Thyanaei, insignis magi, Vespasiano amicissimi, cujus imposturas refert Philostratus (*Vita Apollonii,* Lib. V, cap. 13), indicatque Baronius, anno Christi 72.

126 De cribro gestante aquam, dicitur illud non esse simpliciter miraculum, quia potuit per vim Angeli detineri ne aqua caderet. Et similiter ignis de cœlo potest dejici per motum localem Angeli vel dæmonis, sicut per causas naturales dejicitur fulmen.

127 Plaga autem mortis curanda ab Antichristo non est mortui resuscitatio, sed vulnus lethale quod potest curari aliquando medicamento occulto nobis ignoto, quod tamen a dæmone facile præstari poterit.

128 Et multa similia sunt, quæ per applicationem causarum naturalium, ab Angelo vel dæmone sine vero miraculo fiunt.

129 XXXIV. Quod vero aliqui dicebant apud Augustinum (*Epist. ad Volus.,* cap. 4, n. 13)[2] quod etiam vera miracula non sufficienter ostendunt veram divinitatem, quia respectu

[1] *Histor.* Lib. IV, cap. 81.
[2] PL 33, 521.

Dei parva sunt: hoc ridiculum est. Nam licet omne quod creatum est, modicum sit respectu Dei: tamen quia aliqua sunt quæ sola divina potentia fieri possunt, haec sufficienter ostendunt omnipotentiam divinam; non quia illi sint æqualia, aut non parva, sed quia nulla alia potentia fieri possunt.

130 XXXV. *Ad confirmationem respondetur:* etiam modo in Ecclesia non deesse vera miracula, quia quotidie fiunt ad invocationem sanctorum de coelo, vel servorum Dei in terra. Sed simpliciter non requiruntur nova miracula pro conversione infidelium, quia modo non plantatur fides in mundo, sed plantata propagatur. Unde sufficiunt miracula antiqua, de quibus ad minus per fide dignas historias et traditionem constat, sicut apud ipsos gentiles constat de factis suorum majorum; nec oportet quod de istis miraculis constet per fidem divinam, sed per humanam, vel per experientiam. Et ut dixit D. Thomas (I *Contra Gent.* cap. 6), illa manent in suo effectu, scilicet in hac conversione tot populorum quam videmus, qui per tot sæcula credunt in hanc fidem, ut jam supra ex hoc loco, et ex Cajetano[1] ponderavimus. Huic autem operi qui non credit, cui miraculo crediturus est? n. U7 n.78

131 Nec obstat quod secta Mahometis, et aliquorum similium diu duravit. Dicitur enim quod hoc fuit innitendo potentiæ sæculari et favori humano, et laxando frena deliciis: quorum totum oppositum est in fide nostra. Neque illa secta per totum mundum diffusa est et prædicata, nequeas a pientibus viris approbata, et sanguine martyrum firmata, aut per rationes et disputationes discussa, nec miraculis confirmata sicut nostra.

[1] In Illam, q.43, a.4.

132 XXXVI. **Tertio arguitur:** quia testimonia prophetarum in quibus maxime nititur fides nostra, non omnino nobis constant; nec possumus certo cognoscere an sint completa, nec quando complebuntur: ut plurima quæ continentur in Apocalypsi, et multa quæ sunt in Isaia et aliis prophetis: quæ tanta obscuritate dicuntur, ut non possit litteraliter assignari quid significent, quomodo et quando complebuntur. Ergo frustra ex obscuris prophetiis probare volumus nostræ fidei certitudinem. Siquidem obscuritas illa non permittit nos scire, quænam sint impleta quæve implenda; sed videtur hoc esse sicut oracula falsorum deorum, quæ ambiguitate sua non intelligebantur.

133 Imo cum aliquando Scriptura ipsa ambigue loquatur, et subintellectis quibusdam conditionibus, unde constat nobis quod ea quæ de facto ut proposita ab Ecclesia credimus, non sint sub tali ambiguitate dicta? Imo quod ipsa promissio infallibilis assistentiæ facta Ecclesiæ sit absoluta, non sub aliqua ambiguitate vel conditione aliqua subintellecta?

134 Quod vero fuerint impletæ prophetiæ in Christo, non ita constat: cum ipse venerit in magna abjectione et obscuritate. Et sic remansit obscurum quomodo illæ prophetiæ impletæ fuerunt.

135 *Et confirmatur:* quia Christus venit ut cognosceretur tamquam Deus, et tamen sustinuit ea quæ maxime nos elongant a cognitione Dei. Quia venit in magna abjectione et vituperio, ita ut morte turpissima condemnatus sit, et sic multis fuit occasio ut existimarent stultum in talem credere »; ergo nostra fides inconvenienti modo tradita est.

1 Cf. I *Cor.* 1, 23.

136 *Confirmatur secundo:* quia res quas proponit sunt valde incredibiles et disconformes rationi naturali. Sicut ea quæ promittit nobis in vita futura; quod homines vivent similes Angelis, et modo quodam incorruptibili, sine indigentia exteriorum rerum ut cibi, respirationis, etc.; quod cremabuntur in inferno sine morte; quod corpus Christi sit in Sacramento sicut spiritus. Quæ omnia lumen rationis ita dure accipit, ac si corporalia nostra mutarentur in spiritualia; quod est perdere substantiam suam et essentiam.

©

137 XXXVII. **Respondetur:** in oraculis prophetarum aliqua perspicue et clare poni, alia obscure; et quæ clare ponuntur, etiam impleta dicuntur in Evangelio, et in historiis legimus. Unde sæpius in Evangeliis dicitur: *Ut impleretur quod dictum est per* talem, vel talem *prophetam* [1]. Et multa non esse obscure dicta, constat manifeste: ut de nativitate Christi ex Virgine *(Is.* 7, 14): *Ecce virgo concipiet, etc.;* de miraculis Christi *(Is.* 35, 5): *Tunc aperientur oculi cæcorum, etc.',* de morte Christi *(Is.* 53) et *(Dan.* 9, 26), et alia multa quæ longum esset percurrere, et ad litteram satis intelligibilia sunt; de quibus exstat pulcher tractatus apud S. Prosperum *(De Prædictionibus Dei,* et in *Dimidio temporis)*[2].

138 Quod vero aliqua obscure dicta sint, non est mirum. ñ. 132
Nam etiam in libris philosophorum et in scientiis naturalibus multa sunt valde obscura, et quæ magna indigent inquisitione et labore. Unde si terrena dicuntur nobis, et non intelligimus, quid mirum si non statim coelestia apprehendamus? Si nobis non est connaturale, ut res naturales sine

[1] *Mat.* 4, 14.
[2] PL 51, 817 sq; 837 sq.

ulla obscuritate nobis tradantur: quomodo erit connaturale nobis, ut supernaturalia quæ dicta sunt a prophetis, in omnibus aperte dicantur? Præsertim cum fides ex sua natura obscura sit, et in omnibus apertam claritatem habere, potius est præmii in patria quam meriti in via. Denique, Apocalypsim, et alias prophetias obscuras non est necesse quod omnes et omni tempore intelligant; sufficit quod aliqui, et eo tempore quo Deus disposuerit.

139 Unde optime Augustinus *(Enarr. in Psalm., Ps.* 146, 6 ad illa verba *Suscipiens mansuetos Dominus)* [1] inquit: "Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum; differ pietate intelligentiam, noli protervus esse, accusare aut obscuritatem aut quasi perversitatem Scripturæ; perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est, non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum." Et infra: "Noli recalcitrare adversus obscura, et dicere: melius diceretur si sic diceretur. Quando enim potes tu dicere, aut judicare quomodo dici expediat? Sic dictum est quomodo dici debuit; non corrigit æger medicamenta sua. Novit ea medicus modificare; ei crede qui te curat". Videndus est etiam super *Ps.* 147, 17 ad illa verba. *Mittit crystallum suam sicut buccellas* [2], ubi optime prosequitur.

140 *Quod vero dicitur* unde nobis constet hæc aut illa, ♦·133
sub ambiguitate non esse dicta, aut non subintellecta conditione? *Respondetur* id constare *tum* ex modo loquendi, quia aliquando nullam habet improprietatem aut tropum, sed valde manifestus est, sicut cum *(Joan.* 16, 29) dixerunt Apostoli: *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis; nunc scimus quia scis omnia, et non opus est ut quis te interroget; tum* ex traditione et usu et declaratione Ecclesiæ,

[1] PL 37,1907.^ Î
[*] PL 37,*1914-1915.

cui non est promissa assitentia Spiritus Sancti sub aliqua ambiguitate, quia dictum est *(Joan.* 16, 13) quod *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Non posset autem docere omnem veritatem si sub ambiguitate, et aliqua conditione subintellecta, esset promissus: quia tunc de nulla certificaremur.

141 *Quod vero dicitur* de primo adventu Christi, fuisse obscure et latenter impletum: *respondemus* id quod dicit Paulus *(Act.* 26, 26) ad Agrippam: *Latere eum nihil horum arbitror; neque enim in angulo quidquam horum gestum est.* Et Dominus *(Joan.* 18, 20) dixit: *Ego palam locutus sum mundo.* Itaque in hac passione et abjectione, quæ etiam prædicta fuerat, dignitatem suam satis aperte ostendit verbis et miraculis, et prophetarum oraculis. **"· 134

142 XXXVIII. *Ad primam confirmationem dicitur,* quod Christus venit ut Deus Salvator et satisfaciens pro peccatis, et consequenter ut patiens, et subjectus opprobriis et doloribus. Unde non debuit venire in manifestatione gloriæ: quia *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Nec conveniebat quod venisset ad ostendendum gloriam, si veniebat ad satisfaciendum poenaliter pro peccatis. ñ. 135

143 Quod si semel pati debebat, potius erat conveniens quod valde indigna pateretur, quia sic potius ostendebatur fortitudo divina in sustinendo tantam indignitatem. Unde dicit Tertullianus *(De Patientia,* cap. 3)2: "Hinc vel maxime Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret". Videndus est D. Tho-

* I *Cor.* 2, 8.
\PL 1,1254.

mas (Illa, q. 46, a. 1, et 2, et 3) ubi pulchre ostendit convenientias passionis in Christo.

144 Et denique maxima gratia et liberalitas Dei in hoc enituit, ut egenus fieret propter nos in natura assumpta, sicut dicitur (II *Cor.* 8, 9): *Scitis gratiam Dei, quoniam propter vos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus.* Videatur D. Thomas ibidem, q. 40, a. 3.

145 Hoc etiam conveniebat ad doctrinam suam, quæ tota tendit ad ea quæ conducunt ad alteram vitam et ad gloriam æternam. Unde debuit docere abjectionem et contemptum omnis gloriæ temporalis, quæ impedit valde assecutionem æternæ, cum temporalia spiritualibus contrarientur, et virtus deliciis et vanitati: hæc enim virtus moderatur. Ergo si hoc venit docere, oportuit et facere: alias imprudenter doceret, si careret illa virtute patiendi et sustinendi. Et in hoc maxime constabit Antichristum, et omnes qui ex eo sunt, falsa docere, quia maxime inhiant vanitati et gloriæ temporali: et sic non dirigunt nos ad æterna, et ad ea quæ post hanc vitam debemus inquirere.

146 XXXIX. *Ad secundam confirmationem dicitur:* illa n. 136
omnia non esse incredibilia respectu omnipotentiæ Dei apud quem non est impossibile omne verbum [1]. Maxime autem decet Deum, qui summe omnipotens et magnificus est, res facere in quibus excellentissima ejus potentia et gloria ostendatur. Illa autem contradictionem non involvunt, neque mutant substantiam et essentiam corpoream, sed qualitates et extrinsecas perfectiones. — Quod enim corpus reddatur lucidum, agile, incorruptibile, non ab intrinseco, sed per gloriam: totum hoc pertinet ad qualitates. Et

1 Cf. *Lw.* 1, 37.

multo difficiliora his a gentilibus credebantur de suis diis, quos ex hominibus transferri dicebant ad stellas et ad coelum, et commutari in sidera. Oportuit autem eos quos Deus suamet visione beatos faciet, habere in suis corporibus longe excellentiores qualitates modumque vivendi, quam in vita præsenti imaginari possit. — Quod vero dicuntur futuri similes Angelis u id erit ratione divinæ visionis in anima, non quantum ad substantiam corporum; licet hæc etiam erunt perfecte subjecta spiritui, et ideo spiritualia dicuntur, et in incorruptione Angelis similia.

147 XL. *Quod si adhuc dicatur* quod non videtur conveniens credere Deum tam multa fecisse et passum esse propter tantam paucitatem electorum: neque enim magnus aliquis artifex in aliquo opere magnos sumptus impendit, si majori ex parte suo intento frustrandus est; at major pars hominum, imo et Christianorum, damnatur; frustra ergo videtur tantum pretium a Deo effusum, et ipsam Dei vitam datam pro tam paucis hominibus.

148 XLI. *Respondetur,* quod licet pauci sint qui salvantur quantum ad numerum, sunt tamen magni in qualitate et pretio. Magnum autem pretium non solum convenienter expenditur pro multitudine, sed etiam pro pretiositate rei, etiam si parva sit: omne enim quod pretiosius est rarius esse debet. In hoc autem non frustratur Deus suo intento, quia licet exhibuerit pretium sufficiens pro omnibus propter suam maximam excellentiam, non tamen fuit ejus intentum ut applicaretur omnibus. Unde dicitur (IV *Esd.* 8, 1-3) (licet liber non sit canonicus): *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos. . . Quomodo interrogabis terram, et dicet tibi quoniam dabit terram multam magis,*

» Cf. *Mat.* 22, 30.

unde fiat fictile, parvum autem pulverem, unde aurum fit. Itaque sicut non est inconveniens, quod in terra plus generetur de luto quam de auro: ita nec quod pauciores salventur, qui sunt quasi aurum, quam quod condemnantur qui sunt quasi lutum.

149 Et hoc fuit conveniens in natura humana, quæ est corruptibilis, et ex se prona ad malum; et consequenter major pars corruptioni cedit: eo quod in rebus corruptibilibus defectus est ut in pluribus, bonum autem ut in paucioribus. E contra vero de Angelis, qui sunt perfectiores, plures salvantur. Et tamen maxime lucet misericordia Dei, quod etiam ex natura corruptibili misericorditer hos paucos liberavit a qua tam multi deficiunt: id enim maxime commendat Dei misericordiam, ubi tam grandis est miseria. Videatur de hoc Div. Thomas (Ia, q. 23, a. 7 ad 3 et q. 49, a. 3 ad 5).

ARTICULUS II

OSTENDITUR FIDEM NOSTRAM ESSE VERAM CONTRA JUDAEOS.

Testimonium Domini fidele, justitiae Domini rectæ, laetificantes corda (Ps. 18, 8-9).
Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude (Is. 6, 10).
Feriam domui Israel et domui Juda jcedus novum, non secundum pactum quod feci patribus eorum (Jer. 31, 31-32).

* * *

150 I. Contra Judæos et haereticos, fidei nostrae veritas probanda est per certitudinem, ducendo argumenta contra ipsos ex Scripturis et principiis fidei quæ admittunt.

151 Sed tamen, quia multi ex ipsis Scripturas depravant, et non omnes admittunt: ideo oportet quod disputaturus contra Judaeos vel hæreticos, prius statuat quasnam Scripturas admittant, et quare non omnes. Sic enim Jacobus frater Domini cum Judaeis disputaturus, ut refert beatus Clemens *(Recognitiones,* Lib. I, n. 68) [1], hoc primum statuit: "Requiramus, inquit, primo ex quibus potissimum Scripturis disputationem habere oporteat".

1 PG 1,1244.

152 Quod si non constet, nec aliquid certi statuatur seu admittatur ab ipsis de Scripturis, vix potest disputatio ulla cum adversariis haberi, nisi vel ostendendo talem vel talem Scripturam pro canonica haberi apud antiquos, et apud auctores quos ipsi admittunt: aut saltem quod rationem reddant cur Scripturam istam rejiciant potius quam alias; præsertim quia, cum constet fidem traditam esse a Deo in Scriptura, si pro libito posset quis negare vel abjicere Scripturam in partem vel in totum, aut varias corruptelas vel mutilationes adhibere, nec in hoc esset aliqua certa et firma regula a Deo relicta per quam possint ista corrigi et ad verum sensum reduci, omnia essent confusa, et esset perinde ac nullam habere fidem. Ista autem regula non est alia quam Ecclesia, quæ in Veteri Lege gubernabatur per sacerdotes, quorum judicio standum erat *(Deut.* 17, 8-11). Et ad ipsos pertinebat judicare de lege et mandato, ut habetur (II *Par.* 19, 10). In Nova autem id commissum est Petro, et ejus successoribus *(Luc. 22,* 32): *Confirma fratres tuos;* et *(Joan.* 21, 17): *Pasce oves meas·,* de quo amplius dicetur n. 302 sqq sequenti articulo.

153 Et sic reduci debent disputatores hæreticorum vel Judæorum, ut admittant Scripturas quas ab antiquo Ecclesia admittit. Vel si Scripturas quas Ecclesia admittit, nolint admittere Judaei vel hæretici: saltem videndum est an Scripturæ, quas ipsi habent et admittunt in aliquo concordent cum nostris; et saltem an aliquem articulum fidei admittant, ex quo possit deduci argumentum contra illos in eo articulo quem negant, ut D. Thomas docet (Ia, q. 1, a. 8). Et constat exemplo Christi Domini qui rogatus a Sadducæis, qui non admittebant nisi libros Moysi, circa articulum resurrectionis, illos redarguit loco petito ex eisdem libris: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob: non est Deus mortuorum, sed vivorum (Mat. 22,* 32).

154 Petendum est ab ipsis an saltem velint admittere Scripturas in eo statu et modo quo tempore Apostolorum habebantur, et temporibus antiquorum doctorum, ut Tertulliani, Cypriani, Athanasii, et aliorum qui cum Judæis disputabant, et tamen in Scripturarum admissione conveniebant; neque eas negabant Judæi, sed convincebantur ex illis, ut multis locis Actuum Apostolorum habetur, et ex eisdem modo etiam possunt redargui.

155 Quod si neque in hoc velint convenire, certissimum indicium est ipsos depravasse Scripturas, non nos; quia cum, temporibus Apostolorum, ipsi et Apostoli convenirent in Scripturis, modo nolunt in illismet antiquis convenire sicut citantur ab Apostolis. A quo ergo habent novas istas Scripturas, et talem legem, cum careant sacerdote, judice et republica a quibus possit id quod ambiguum fuerit in Lege et mandato, discerni et judicari?

II. Quod si his omnibus nolit acquiescere Judaeus vel haereticus, sed solum suo privato spiritu et auctoritate Scripturas admittere vel rejicere : habendi sunt sicut ethnici et publicani qui Ecclesiam non audiunt [1]; et sic vel omnino relinquendi sunt, vel tractandum cum illis sicut cum gentilibus, et melius est a disputatione abstinere.

Unde Tertullianus *{De Præscript.,* cap. 17-19) [2] opti-
157 mam statuit regulam, quæ maxime observanda est in disputationibus cum hæreticis nostri temporis, qui tot Scripturarum corruptiones, mutilationes, translationes et adjectiones faciunt: "Nihil, inquit, proficiet congressio Scripturarum, nisi plane ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas:

1 Cf. *Mat.* 18,17.
2 PL 2, 30-31.

et si recipit, quas adjectionibus et detractionibus ad disputationem instituti sui intervertit. Et si recipit integras, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum? cum, si quid defenderis, negetur ex diverso; si quid negaveris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ille vero, si quis est cujus causa in congressum descendis Scripturarum ut eum dubitantem confirmes : ad veritatem, an magis ad hæreses deverget ? Hoc ipso motus quod te videat nihil promovisse, æquo gradu negandi et defendendi diversa parte statutum. Certe de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet. Hæc utique, et ipsi habent in nos retorquere; necesse est enim, et illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum, et expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas provocandum est, neque in his constituendum certamen: in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut parum certa". — Sic Tertullianus.

* * *

158 III. Igitur tota cum Judæis controversia ex illo unico puncto dependet: an Christus in Lege promissus jam venerit, et sit illa singularis persona quæ dicitur Jesus, filius Mariæ. In hoc enim Paulus convincebat Judæos, affirmans: *Quia hic est Christus (Act.* 9, 22).†59

159 Exinde* autem facile probari poterit, *quod* Lex antiqua per Moysen data finiri debuit in Christo, ut late prosequitur Apostolus in epistola ad Hebræos. Et secundo, *quod* regnum Messiæ non erat futurum in sola gente Judæorum, sed in omni terra; nec delicias et divitias terrenas promittebat, sed coelestes, et per mortem suam acquirendas. *n.228 sa

* *

160 IV. Testimonia ergo contra Judaeos sunt in triplici genere. — **Primo,** sunt testimonia quæ absolute promittunt Christum venturum, non designando tempus, neque circumstantias.

161 **Secundo,** sunt testimonia designantia tempus circa quod veniret Christus, licet non diem neque horam determinate.

162 **Tertio,** sunt testimonia tales circumstantias desigantia quod non nisi illi singulari personæ, filio Mariæ, convenire possunt; ex his enim circumstantiis probarunt Apostoli hunc Jesum esse Christum, ut *(Recognitiones,* Lib. I, n. 36) [1] S. Clemens testatur. Et ex his etiam manifestum erit quantum erraverint Manichæi, aliique hæretici dicentes nullas prophetias veteres loqui in singulari de Christo, contra quod dicitur *(Ad.* 10, 43): *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent;* et *(Rom.* I, 2-3): *Sicut promisit in Scripturis sanctis de Filio suo;* et *(Joan.* 5, 46): *Si crederetis Moysi crederetis et mihi, de me enim ille scripsit.*

* *

163 V. **Circa primum** promissus est Christus venturus in libris Moysi, in Psalmis et prophetis, ut ipse Jesus dixit *(Luc.* 24, 44). n. 180

164 *In libris Moysi* promittitur *(Gen.* 12, 3 et 22, 18), quod *in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes.* Quod non potest intelligi, quia omnes gentes benedicant ipsum

[1] PG 1,1229.

Abraham, ut dicunt Judæi: quia non promittitur benedictio in ipsomet Abraham, sed in semine ejus, quod est Christus; nec modo, universæ gentes benedicunt Abraham, sed Christum.—Item *(Gen.* 49, 10), expresse promittitur Christus in illis verbis Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda,* etc., de quo infra dicemus.—Et *(Deut.* 18, 15): *Prophetam de gente* *. 179 sQ' *tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus,* quo testimonio usus est Stephanus *(Act. 7,* 37).

165 *In Psalmis* habetur *(Ps.* 2, 7) promissio de Christo: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te;* quo testimonio utitur Apostolus *(Heb.* 5, 5).—Et in *Ps.* 44 per totum fit locutio de Christo, ubi vocatur "Deus": *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus et adorabunt eum* [1] quod non potest convenire Salomoni, nec alteri regi.—Et *Ps.* 109 aperte fit locutio de Christo, quod sit futurus *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* [2], et quod sedebit ad dexteram Dei. — Et *Ps.* 131 fit repromissio ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [3].

166 *In prophetis* manifeste fit prædictio de Christo *(Is.* 7, 14): *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel;* et *(Is.* 9, 6-7): *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, etc.; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut corroboret illud a modo et usque in sempiternum.* Quæ verba de nullo alio rege, vel regno temporali possunt intelligi: quomodo enim dici potest aliquis illorum regum *Deus, et Pater futuri sæculi* [1] aut quomodo confirmabit regnum David usque in

[1] *Ps.* 44,12.
[2] *Ps.* 109, 4.
[3] *Ps.* 131, 11.

sempiternum? cum regnum temporale David omnino sit destructum: neque in sempiternum durare posset, cum tandem totus mundus sit finiendus.—Item (Zs. 53) apertissime fit sermo de passione et morte Christi per quam a peccatis eramus liberandi.—Item *(Baruch* 3, 36-8): *Hic est Deus noster, etc.; post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*—Et *(Dan.* 9, 24-6) clarissime fit prædictio [1] de Christo qui vocatur Sanctus sanctorum, et occidendus dicitur, et quod finem accipiet peccatum: de quo testimonio statim dicemus.—Et *(Agg.* 2, 7-8): *Adhuc* ff. 184sqq. *modicum, et ego movebo cœlum et terram, etc. Et veniet desideratus cunctis gentibus·,* quod non potest quadrare alteri quam Messiæ. Et alia multa sunt testimonia quæ statim citabimus.

167 VI. Ad haec non possunt Judaei respondere negando quod loquantur ista testimonia de vero Messia: cum apertissime vocetur Deus, vel Filius Dei, et dicatur venturus in benedictionem omnium gentium et redemptionem hominum, et regnum ejus futurum æternum: haec enim nulli regi terreno aptari possunt.

168 Solum possent dicere (omittendo fabulas eorum, quæ potius ridendæ sunt quam impugnandæ) verum esse quod Christus fuit promissus in Lege, sed sub conditione si non obstarent peccata populi, ut constat ex illo *(Ps.* 131, 11-12): *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea haec, quæ docebo eos.* Quo loco ad litteram loqui de Messia constat ex interpretatione Petri *(Act.* 2, 30). Ergo cum ista conditio non fuerit impleta ex parte populi Judaici, sed po-

[1] Saltem typice.

tius aggravaverint peccata sua, non est cur dicamus fuisse impletam conditionem de adventu Messiæ.

169 *Respondetur:* hanc promissionem factam fuisse omnino absolute, ut constat (Jer. 33, 20-21): quia omnino facta est secundum immobilitatem consilii sui, ut Paulus dicit *(Heb.* 6, 17-18).

170 Et hoc constat quia fuit promissus Messias ut occidendus in redemptionem peccatorum, ut manifeste patet *(Is.* 53 et *Dan.* 9, 26). Ergo propter nulla peccata ista promissio frustranda erat, cum in remissionem omnium promittebatur Christus venturus.

171 Nullum etiam peccatum grandius fuit quam ipsa occisio Christi tam crudeliter facienda; ergo si propter illud non erat promissio ista frustranda (quia potius promittebatur et prænuntiabatur ipsa occisio, sine qua non erat futura redemptio), propter nullum aliud ejus impletio omittenda erat.

172 Præterea Judæi fuerunt ducti in captivitatem propter peccatum idololatriæ, et non custoditum testamentum Dei, atque adeo jam tunc non impleverant conditionem sub qua dicitur facta illa promissio; et tamen etiam post captivitatem facta est promissio et revelatio de Messia, absolute et sine ulla conditione. Ut patet *(Dan.* 9, 24-26) in prophetia septuaginta hebdomadarum; *(Agg.* 2, 8): *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Ergo promissio Messiæ non est facta sub conditione.

173 Et ad illum locum *(Ps.* 131, 12): *Si custodierint filii tui, etc.*: dicitur illam conditionalem referri ad clausulam subsequentem: *Filii tui in sæculum sedebunt super sedem tuam,*

non ad antecedentem in qua fit mentio et promissio de Messia omnino absoluta, ut patet in illis verbis: *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam de fructu ventris tui,* etc.

¥ *

174 VII. **Secundum genus testimoniorum** loquitur de tempore Messiæ, quo venturus erat. De quo tempore tria constant ex Scriptura. ñ. 161

175 *Primum,* non venisse Christum immediate post captivitatem Babyloniae: cum prophetæ qui post talem captivitatem prophetaverunt, ipsum adhuc ut venturum pfædixerint, ut patet *{Agg.* 2, 8): *Veniet desideratus cunctis gentibus;* et *(Zach.* 9, 9): *Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator, etc.;* et *{Mal.* 3, 1): *Ecce ego mitto Angelum meum, et statim veniet ad templum suum domirtator quem vos quæritis,* etc.

176 *Secundo,* constat Christum non venturum post totalem destructionem templi et reipublicæ Judaeorum. Nam Christus promissus est venturus ex illa gente Judæorum ut *(Mich.* 5, 2): *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel.* — Et dicitur venturus templo adhuc stante ut patet loco citato *{Mal.* 3, 1): *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quaeritis; et {Agg.* 2, 8): *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.*

177 Cum ergo totaliter destructam cernamus illam rempublicam et ejus templum, non est amplius expectandus adventus primus Messiæ. Nec potest dici, quod Messias venturus est ad restituendum illud regnum et templum; quia si nasciturus est ex illa gente, et adhuc eorum republica temploque stante, manifestum est ante ejus ortum debere extitisse templum illud et rempublicam, ut in illa nascatur.

178 VIII. *Tertio,* ergo magis in particulari designatur tempus quo Christus veniret, in duobus Scripturæ locis quæ famosiora sunt in hac parte, scilicet *(Gen.* 49, 10 et *Dan.* 9, 24-26).

179 Nam primo loco sic dicitur: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux* [1]*de femore ejus donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* In Hebræo autem sententia hæc ad verbum sic transfertur ab Oleastro[3]: *Non recedet virga de Juda, et scribere faciens de inter pedes ejus usquequo veniet shiloh, et illi obedientia populorum.* Ubi expresse fit sermo de Messia, ut etiam interpres Chaldæus[3] fatetur, dum sic interpretratur: *Non auferetur sceptrum, etc. donec veniat Messias.*

180 Aliqui tamen Judæi negaverunt loqui hanc prophetiam de Messia propter obscuritatem illius verbi *shiloh,* cujus pene significatio nescitur. Et ideo varie translatum est; nam Septuaginta legunt: *donec veniant reposita ei;* vel *donec veniat cui ille.* Communiter autem dicitur significare quietum seu pacificum, aut securum; vel ut alii dicunt, significat *missum,* sicut de piscina Siloë dicitur *(Joan.* 9, 7): *Quod interpretatur missus.* Et sic transtulit noster Vulgatus: *Donec veniat qui mittendus est.* Et utrumque singulariter convenit Messiæ, qui et missus est a Deo, et pacificus atque quietus futurus prædicitur *(Is.* 42, 1-4; et 61, 1).

181 . Maxime autem probat hunc locum de Messia intelligendum illa particula: *Et ipse erit exspectatio gentium,* seu *erit illi obedientia populorum:* quod utique non convenit nisi

1 seu baculus imperii inter genua ejus.

3 *Comment, in Pentateuchum* super *Gen.* 49, 10.

3 Targum Onkelos (h.l.).

Messiæ, de quo dicitur *(Is.* 11, 10): *Erit radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*

182 Nec possunt Judæi invenire regem aliquem seu ducem ex antecedentibus cui ista prophetia conveniat. — Non Saulem, quia hic non fuit de tribu Juda, sed de Benjamin[1].—Non Davidem, aut Salomonem; quia cum ipsi venerunt, non defecit sed potius inccepit sceptrum in Juda.—Non Jeroboam, *tum* quia per ejus adventum non defecit sceptrum in Juda, sed in Roboam et aliis regibus continuatum est; *tum* quia ille non fuit expectatio gentium, si quidem ultra terminos regni Israelitici nihil habuit. — Nec denique alius ex regibus Judæorum fuit expectatio gentium, aut illi data est obedientia a gentibus. Ergo Messias, quicumque ille est, non fuit aliquis ex praecedentibus regibus; et alias, in vi illius prophetiæ jam venit, quia jam a longo tempore defecit sceptrum Judæorum et sic illa prophetia jam impleta est.

183 Nec tamen potest dici, quod fuit impleta in Sedecia, qui fuit ultimus regum Juda, ut objiciebat Julianus Augustus[2]; *tum* quia post Sedeciam fuerunt multi duces in illo populo, ut Zorobabel et alii, licet non cum titulo regis; prophetia autem illa non solum loquitur de regibus, sed etiam de ducibus: *Et dux de femore ejus; tum* etiam quia, ut supra ponderavimus, etiam post Sedeciam et captivitatem, tempore Zorobabel prophetatus fuit Messias ut venturus *(Agg. 2,* 8 et *Zach.* 9, 9); ergo non fuit impleta ista prophetia in Sedecia.

184 IX. Alter locus est *Danielis* 9, 24-27, ubi Angelus loquens Danieli prædixit tempus quo erat venturus Messias

1 Cf. I *Sam.* 10, 20.

2 Cf. S. Cyrillum Alexandrinum, *Contra Julianum,* Lib. VIII. PG 76, 888, 897.

his verbis: *Septuaginta hebdomadae abbreviatæ*[1] *sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.* Deinde subdidit Angelus, occidendum esse Christum, et negandum a suo populo, et desolandam esse civitatem ultima desolatione.

185 X. In hac prophetia circa determinationem præcisam hujus temporis adventus et mortis Messiæ, tria sunt certa, et unum valde dubium.

186 *Primo,* omnino certum loqui in hoc loco de vero Messia, expresse enim nominat ipsum Christum ibi[2]: *Usque ad Christum ducem,* et *occidetur Christus,* etc. Nominatur etiam *Sanctus sanctorum,* et quod peccatum delendum est, et prophetiæ adimplendæ: quæ omnia non possunt quadrare nisi in verum Messiam. Et ita intra illud spatium septuaginta hebdomadarum, assignanda est aliqua persona cui haec omnia competant: quod sit Sanctus sanctorum, quod occidendus sit et negandus a suo populo, quod finem accipiat peccatum et impleatur visio et prophetia.

187 Quod in nullo ex regibus Judæorum, vel ex principibus Romanorum, aut alio quovis rege mere temporali, intra spatium illius temporis poterit inveniri vel assignari.

188 Optime autem quadrant in illo Jesu filio Mariæ, qui apparuit in maxima sanctitate, fuit occisus et negatus a suo populo, ut dicitur *(Act.* 3, 13): *Quem vos tradidistis, et negastis coram Pilato.* Ex tunc cessaverunt omnes prophetiæ, prædicavit pœnitentiam et remissionem peccatorum, idque

[1] *Scii,* determinatae.
[2] *Dan.* 9, 25-26.

maximis miraculis confirmavit, ut testantur evangelia et omnes historiæ, etiam Josephi[1] Judæi, et constantissima traditio; et vixit intra tempus illarum septuaginta hebdomadarum. Ergo in illa singulari persona, intelligenda est impleta ista prophetia.

189 XI. *Secundo* certum est istas hebdomadas non esse nisi dierum sed annorum, quia frequens erat in Scriptura et in usu illius reipublicæ Judæorum nominare hebdomadam cursum septem annorum, sicut nominatur hebdomada spatium septem dierum: expresse enim nominatur hebdomada annorum *(Lev.* 25, 8 et *Ex.* 23, 10-11).

190 Nec alias hebdomadas licet fingere, quia non constat fuisse in usu nisi istas. Angelus autem loquebatur Danieli eo modo numerandi qui erat in usu apud Hebræos; sicut etiam loquebatur de annis solaribus et ordinariis: ex istis enim constabant hebdomadæ apud Hebræos, nam constat quod numerabant sex annos ad seminandam terram, septimum ab sabbatizandum: quadraginta novem annos ad venditiones, qui faciebant septem habdomadas, et annum quinquagesimum ad jubilæum, ut patet *(Lev.* 25, 8-10).

191 Si autem illi anni essent lunares, multum detraheretur sementi terræ, et multum damnificarentur contractus, quia in triginta quatuor annis, vel paulo minus, consumeretur unus annus: quia lunaris annus habet undecim dies minus solari. Quare numeratio per hebdomadas annorum apud Hebræos necessario excludit annos lunares, et solum constat ex solaribus. Et ita septuaginta hebdomadæ annorum constituunt decem jubilæa (quia quodlibet jubilæum erat ex septem hebdomadibus) et efficiunt 490 annos.

1 Cf. *Antiquit.* Lib. XVIII, cap. 3.

192 XII. *Tertio* certum est hos annos jam nunc esse transactos, et consequenter non posse jam sperari illum Messiam, qui intra illos annos prædicitur venturus. Nam illa periodus annorum 490 habet ibi determinatum initium et terminum, cum dicitur[1]: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad Christum ducem,* etc. Iste autem sermo, seu decretum de reædificanda Jerusalem necessario debet supponere Jerusalem esse desolatam et indigentem reædificatione. Haec autem desolatio quæ reædificanda erat, *vel* est illa quam tunc patiebatur in captivitate, et pro qua abbrevianda tunc orabat Daniel; *vel* est illa quæ tempore Macchabæorum facta est jussu Antiochi Epiphanis, et postea ædificaverunt, seu purgaverunt templum (I Mac. 4, 36 sq.). *Vel* denique potest intelligi de desolatione ultima quam tempore Vespasiani et Titi, et postea tempore Hadriani, passa est Jerusalem: a quo tempore usque nunc non est iterum ædificata ab ipsis Judæis, sed calcata a gentibus. Ut omittam expugnationem factam a Pompeio, et expilationem templi a Crasso, quia tunc non est desolata Jerusalem, licet capta: unde non indiguit reædificatione, neque ad id exiit aliquid decretum.

193 Si primo vel secundo modo intelligatur desolatio et decretum reædificationis faciendæ: jam transacts sunt non solum septuaginta hebdomadæ, sed plus quam ducentæ, vel trecentæ.

194 Si autem de ultima desolatione loquamur, ut exspectatur a Judaeis iterum ædificanda Jerusalem, et ex illa ædificatione computandas esse septuaginta hebdomadas, ut veniat Messias: cum jam ab illa desolatione Titi et Vespasiani transacti sint anni fere mille sexcenti, certe non sunt heb-

[1] *Dan.* 9, 25.

domadæ abbreviatæ, sed nimis prolongatæ super populum illum et urbem sanctam; et nihil certi Angelus diceret Danieli, si in tam longum tempus, quod durabit usque ad finem mundi, expectandum est decretum de reædificanda Jerusalem et postea ab illo usque ad adventum Christi computandæ sunt septuaginta hebdomadæ, et deinde post mortem Messiæ dicitur dissipandum populum et vastandam urbem, et quod deficiet hostia et juge sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis. Quomodo ergo tale decretum de reædificanda Jerusalem expectandum est usque ad finem mundi? si post illum, tam multa sæcula evolvenda sint ad adventum usque Messiæ, et ut dissipetur populus, et veniat statuta desolatio.

195 Imo nec modo potest expectari in futurum, cum videamus nostris oculis jam impletum a tempore Titi et Vespasiani: defecit enim templum et illud juge sacrificium, et dissipatus est populus Judaicus. Ergo jam sunt impletæ illæ septuaginta hebdomadæ, et jam Christus venit. Nec amplius potest expectari siquidem venturus prophetabatur durante illo templo *(Agg.* 2, 8) : *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Ergo cum a tam longo tempore illud templum penitus eversum sit, non potest amplius expectari Christus, qui illud templum impleturus erat gloria; et sic in ipso suo adventu et nativitate supponi debet quod existât illa respublica et templum, non quod sit eversa jam et desolata; veniet non ut restauret illam, sed ut restauret regnum Dei.

196 XIII. *Quod autem valde dubium est* et controversum, § 185 est in assignando præciso articulo temporis quo incipiunt numerari istæ hebdomadæ: quod non potest a nobis in præsenti latius expendi, pertinet enim magis ad expositivos.

197 Verumtamen breviter dicam quod probabilius apparet, quia etiam poterit hoc aliquo modo conducere ad convincendos Judaeos. Igitur ex Scriptura constat, post captivitatem Judæorum quatuor vicibus sermonem seu decretum exiisse de aedificanda Jerusalem vel templo. *Duae* pertinent ad deductionem coloniae, quæ etiam propriissime dicitur aedificatio (nostro vulgari sermone *poblar'*) ; *duae aliae* ad materialem ædificationem templi et murorum ex lapidibus.

198 Primum decretum ad deducendam coloniam fuit tempore Cyri primi Persarum monarchæ, ut constat (I *Esd.* 1 et 2). til' 197

199 Secundum decretum ad deducendam coloniam fuit septimo anno Artaxerxis, ut constat (I *Esd.* 7, 7-8). Et iste Artaxerxes est alius ab illo qui (I *Esd.* 4) nominatur etiam Artaxerxes et Assuerus, siquidem iste Assuerus fecit intermitti opus templi; et intermissum est usque ad tempora Darii q tempore autem Darii iterum prosecutum est (I *Esd.* 6, 6-15) et deinde (7, 1) dicitur: *Post haec verba in regno Artaxerxis, etc.', ergo* si fuit *post hæc verba,* utique ille Artaxerxes fuit post Darium, atque adeo post illum primum Artaxerxem qui fuit ante Darium. 197

200 Primum decretum ad prosequendum opus templi factum est anno secundo Darii ut patet[2] (I *Esd.* 6). 197

201 Secundum decretum pro reparando templo et muris fuit anno vigesimo Artaxerxis in quo missus est Nehemias, ut patet (II *Esd.* 2,1). *n-197

202 Ex his quatuor articulis, diversi auctores sumunt initium numerandi istas hebdomadas, et omnes vix possunt se expedire a difficultatibus.

1 Cf. I *Esd.* 4, 20-24.
2 Cf. I *Esd.* 4, 24.

203 XIV. *Nos ergo dicimus* certius videri incipiendos esse istos annos numerari ab illo secundo decreto deducendi coloniam Judæorum in septimo [1] anno Artaxerxis. Moveor ad hoc, quia numerando annos istos ab illo articulo, sine ulla violentia intelliguntur compleri anni 490 in ipsa morte Christi; et convenienter ad litteram textus nominatur istud secundum decretum *exitus sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem.* Est enim proprie ædificatio quando deducitur colonia ad aliquem locum inhabitandum; et fuit decretum ad ædificandum iterum, seu secunda vice, Jerusalem quia, ut dictum est, fuit secundum decretum de hac re. Et sic consonat verbis Angeli dicentis: *Ab exitu sermonis ut ædificetur Jerusalem,* etc. *n. 199

204 Quod autem ab isto anno numerentur septuaginta hebdomadæ usque ad mortem Jesu filii Mariæ, quem nos dicimus Christum, et in quem concurrunt omnes ille conditiones quas ponit Daniel de vero Messia, ut jam supra ponderavimus: constat ex duobus principiis apud historicos notissimis. *n. 186sq.

205 *Primum,* quod morsi Ilius Jesu accidit olympiade 202 currente, anno ejus quarto, eo quod iste annus concurrit cum anno 18 completo Tiberii, currente anno 19; fuit autem Christus baptizatus anno 15 imperii Tiberii Cæsaris, ut patet *(Luc.* 3, 1), et ab ejus baptismo usque ad mortem intercesserunt tres anni completi.

206 *Secundum* principium est, quod annus septimus Artaxerxis incidit olympiade 80 in anno ejus secundo. Quod principium non possunt negare etiam illi qui sumunt initium istorum annorum a vigesimo anno Artaxerxis, ut sunt Julius

[1] I *Esd.* 7, 7-8.

Africanus (apud S. Hieronymum, *in Dan.,* super 9) Rupertus [1] [2] [3] Bedae alii: quia assignant vigesimum annum Artaxerxis in olympiade 83, anno ejus tertio; a quo, subducendo tredecim annos qui interveniunt ab anno septimo usque ad vigesimum, remanet annus secundus Olympiadis 80, ut constat ex ipsa numeratione: cum in qualibet olympiade sit spatium quatuor annorum.

207 Et fundamentum hujus est, quia apud omnes historicos constat, quod initium monarchiæ Cyri in Perside fuit Olympiade 55, ipso primo anno ejus quo celebrata est, ut constat ex Eusebio *(De demonstr. evang.,* Lib. VIII)[4]* et citatur a D. Hieronymo loco citato[5]* Quod intelligitur de principio regni Cyri in Persia, non in Babylonia; hanc enim cœpit olympiade 58 vel circiter ut constat ex Herodoto, et Solino; et exinde numeratur primus annus Cyri in libro I Esdræ, scilicet primus in Babylonia, et tunc fuit soluta captivitas Judaica. Sed tamen primus annus Cyri in Persia fuit olympiade 55. Regnavit autem Cyrus triginta annis, Cambyses ejus filius octo, Darius Hystaspis qui illi successit triginta sex, Xerxes ejus filius viginti uno. Huic autem successit Artaxerxes de quo loquimur, qui dictus est Longimanus. Quæ omnia apud historicos sunt notissima, et sumi possunt ex Herodoto qui in historia regum Persarum usque ad annum septimum Xerxis, fidelis valde habetur[6]; ex Diodoro Siculo[7]; ex Thucydide[8]. Videatur Eusebius

1 PL 25, 543 sq.
2 PL 167,1517.
3 *De Temporum ratione,* cap. 66, an. mundi 3529, PL 90, 539.
4 PG 22, 616.
5 PL 25, 545.
6 Cf. Lib. I, cap. 214.
7 Cf. Lib. XI, cap. 69.
8 Nihil invenimus.

(De Demonstr. evang. Lib VIII) [1] citatus a S. Hieronymo *(In Dan.,* super 9)[2]; Bellarminus, *de Scriptoribus Ecclesiasticis,* in brevi chronico; et generaliter omnes chronologi, Salianus, Tornelius, et alii.

208 Et sic ab initio regni Cyri in Persia usque ad initium regni Artaxerxis, currunt 95 anni; quibus addendo septem (quia septimo anno ejus exiit decretum de secunda ædificatione Jerusalem per Esdram, ut constat I *Esd.* 7), fit manifestum quod ab olympiade 55 in qua omnes historiæ ponunt initium regni Cyri usque ad septimum annum regni Artaxerxis currunt 102 anni qui efficiunt viginti quinque olympiades et duos annos: quas addendo super 55 olympiades, manifestum relinquitur quod annus septimus Artaxerxis incidit olympiade 80, anno ejus secundo.

209 XV. Ex his duobus principiis sic probatis, manifeste deducitur quod a septimo anno Artaxerxis, quo dictum secundum decretum exiit de aedificanda Jerusalem, usque ad mortem Christi, intercedunt præcise et abbreviate 490 anni qui faciunt septuaginta hebdomadas concisas, abbreviatas, punctuales.

210 Patet hoc, quia ab olympiade 80 in anno secundo, usque ad 202 in anno quarto ejus, intercedunt 122 olympiades, et duo anni: quæ efficiunt 490 annos præcisos, numerando in qualibet olympiade quatuor annos. Et sic optime dictum est quod fuerunt abbreviate septuaginta hebdomadæ usque ad consummationem passionis Christi, in qua *deleta est iniquitas, et finem accepit peccatum,* ut ibi dicitur *(Dan.* 9, 24 sq.), computando ab exitu sermonis, seu decreto de secunda ædificatione Jerusalem usque

[1] PG 22, 613 sq.
[2] PL 25, 544 sq.

ad occisionem Christi septuaginta hebdomadas. Quare autem ibi Angelus computet, tractando de morte Christi, istas hebdomadas per partes, scilicet septem, et sexaginta duo, et unam: dicemus in solutionibus argumentorum. ♦. 271

211 XVI. Et ex hoc constat omnes alias supputationes, vel a primo anno Cyri, vel a secundo Darii, vel a vigesimo Artaxerxis, non potuisse exacte explicare quomodo ista supputatio annorum in Christo terminata sit.

212 Nam qui a primo dicto Cyri regis numerant, non possunt pervenire per 490 annos usque ad mortem Christi; fluxerunt enim fere 600 anni, videlicet ab olympiade 58 vel circiter quo capta est Babylon a Cyro et prolatum edictum de restitutione Judaeorum, usque ad Olympiadem 202 qua mortuus est Christus; unde septuaginta hebdomadae multo ante terminantur; nec possunt invenire in quo verificentur illa verba de Sancto sanctorum, et impletione visionis, et fine peccati, etc.

213 Similiter Eusebius [1] qui a secundo anno Darii Hystaspis numeravit has hebdomadas, non potuit illas perducere usque ad Christum, quia multo ante terminantur; et ideo non intellexit illas de Christo, sed de pontificibus Judaeorum usque ad Hyrcanum. De quo tamen non potuit verificare, quod fuerit Sanctus sanctorum, et quod populus ejus eum negaverit, et quod deleverit peccatum, et quod per ejus mortem defecerit juge sacrificium, quod totum dicitur in hac prophetia.

214 Qui autem a vigesimo anno Artaxerxis supputant istos 490 annos, perducunt numerationem eorum ultra mortem

[1] PG 22, 617-621.

Christi, videlicet usque ad sextum annum Claudii in olympiade 206. Quo anno non constat occisum esse aliquem, cui competant illæ conditiones positæ in hac prophetia. Quod videns Africanus [1] dixit illos 490 annos esse lunares non solares, ideoque dici illas hebdomadas abbreviatas, id est, breviores solaribus. Sed hoc non dicitur aliquo solido fundamento: cum non fuerit consuetudo apud Judaeos numerare hebdomadas annorum per annos lunares, quia sic multum detraheretur sabbatismis et jubilaeis, ut jam supra ponderavimus; imo etiam faciendo lunares illos 490 annos, adhuc non pervenitur ad annum mortis Christi, quia 490 lunares habent quindecim annos minus quam solares; et ita computando a vigesimo anno Artaxerxis istos annos, pervenitur ad decimum septimum Tiberii: iste enim annus est decimus quintus ante sextum Claudii; Jesus autem passus est decimo octavo Tiberii, vel decimo nono currente. *“.

215 Qui vero perducunt istas hebdomadas usque ad primum annum Vespasiani, in quo eversa est Jerosolyma, et fuit viginti duobus annis post sextum annum Claudii, non possunt invenire principium supputandi istas hebdomadas: nec in anno vigesimo Artaxerxis: neque in trigesimo secundo vel trigesimo quarto, in quibus solum inveniunt isti auctores aliquod vestigium decreti de ædificanda aut benefacienda urbe Jerosolyma; quia a nullo ex istis principiis perveniri potest per 490 annos usque ad primum annum Vespasiani, qui fuit septuagesimus a Christo nato et vigesimus secundus post sextum Claudii. Solum ergo subsistit supputatio a nobis facta a septimo anno Artaxerxis.

¥ ¥

1 PG 22, 612.

216 XVII. **Ultimum genus testimoniorum**, quæ probant n. 162
Dominum Jesum esse verum Messiam, constat ex eo quod in illa singulari persona impleta sunt omnia quæ de vero Messia prædicta sunt.

217 Nam dicitur Christus egressurus ex Bethleem Juda, ut dicitur *(Mich.* 5, 2) : et sic erat communis intelligentia apud Judæos, quia sic ipsi dixerunt Herodi, up patet *(Mat.* 2, 5) ; et similiter *(Joan.* 7, 42) dixerunt: *Quia ex castello Bethleem Christus venit.* — Constat autem Jesum natum esse in Bethleem *(Luc.* 2, 4, 7) et *(Mat.* 2, 1), et ibi quæsitus est[1] ab Herode ad mortem, occidendo omnes pueros qui erant nati in Bethleem.

218 Item Messias dicitur venturus et impleturus gloria domum illam, seu templum quod erat in Jerusalem *(Agg.* 2, 8; *Mal.* 3, 1). — Hoc autem impletum est in Jesu, qui in templo oblatus est infans a Matre Virgine, et vir factus sæpissime in illud templum intravit, illudque suæ præsentiæ ac prædicationis et miraculorum gloria replevit. Nunc autem jam impossibile est, quod veniat aliquis Messias qui adimpleat hanc prophetiam, quia jam illa domus seu templum de quo loquebatur *Agg.* funditus eversum est. Item n. 219
prædictum est de Messia, quod in ipso benedicentur omnes gentes, et erit eorum expectatio, et in ipsum credant; quod idola cessabunt, quod respublica Judæorum destruetur. — Hæc omnia impleta videmus in illo Jesu. Ergo ipse est verus Messias.

219 *Major* constat manifeste ex repromissione facta Abrahæ *(Gen.* 12, 3 et 22, 18): *In te benedicentur omnes gentes;* et *(Gen.* 49, 10) : *Ipse erit expectatio gentium; (Ps.* 2, 8) : *Pos-*

[1] Cf. *Mat.* 2,16.

tula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam; (Is. 11, 10): *Erit radix Jesse, qui exsurget regere gentes, in ipsum gentes sperabunt;* et (49, 6): *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ; (Agg. 2,* 8). *Veniet desideratus cunctis gentibus.*

220 *Minor* vero probatur: quia ante Jesum per nullum hominem ex Judæis natum, aut in ejus nomine, gentiles cognoverunt Deum Israel, aut crediderunt in eum, aut idola abjecerunt; post Jesum autem videmus, a mille et sexcentis annis, gentiles Deum illum cognoscere et adorare, qui erat notus in Judæa: idola abjicere, Scripturas venerari, converti ad Deum etiam extrema terræ, et hæc omnia in nomine illius Jesu crucifixi a Judaeis. Ergo ille singularis homo est per quem gentes cognoverunt Deum, benedictionem accipiunt, et idola fugantur; et sic ipse est Christus.

221 Item vastitas et eversio reipublicæ Judæorum quæ predicta est *(Dan.* 9, 26-27) futura post mortem Messiæ, impleta est post mortêm illius Jesu, sicut etiam fuit prædicta ab ipsomet Jesu *(Mat.* 24, 2, 15) et per ejus discipulos confirmata fugiendo a Judæa ut ipse præceperat; ergo ipse est Christus.

222 XVIII. Ultimo, modum vitæ et mortis qui de vero Messia a prophetis prædictus est, videmus omnino completum in Jesu filio Mariæ.

223 Nam prædictum est quod veniret humilis et pauper et mansuetus *(Is.* 42, 9; et 61, 1-3) et *(Zach.* 9, 2-4): *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum.*—Quæ omnia impleta sunt in Jesu filio Mariæ; nam ipse pauperrime vixit, ita ut diceret

de se: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* [1]; ipse super asinam sedens ingressus est[2] Jerusalem; ipse consolatus est omnes mærentes et tristes, quia dicebat[3]: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos;* quod etiam testatur multitudo beneficiorum ejus: *Quia pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo,* ut dicitur *(Act.* 10, 38); nullum despexit, omnium necessitatibus subvenit, febres abegit, dolores resolvit, mansuete respondit etiam ad gravissimas injurias provocatus, ut constat ex historia Evangelii. Ergo modus vivendi qui in Messia futurus prophetabatur, in Jesu impletus est.

224 Item etiam miracula, quæ a Messia dicuntur facienda *(Is.* 35, 4-6): *Deus ipse veniet, et salvabit nos, tunc aperientur oculi cœcorum, et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus,* etc.—Haec omnia manifestissime in Jesu impleta sunt, ut constat *(Mat.* 11, 4-5): *Ite, dicite Joanni quæ audistis et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt,* etc., ostendens esse impleta in se illa signa Messiæ.

225 Modus etiam mortis Messiæ maxime impletus est in Jesu, nam *(Is.* 50, 6), dicitur: *Dedi corpus meum percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem autem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me;* et *(Is.* 53, 5), dicitur quod *vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra, in livore ejus sanati sumus;* quod non nisi de vero Messia dici potuit, solus enim ipse salvare poterat a peccatis. Et iterum dicitur *Quod non fuit in eo species neque decor, et quod abscissus est de terra viventium, et de angustia et de judicio sublatus est.* Item dicitur: *Potandus*

[1] *Mat.* 8, 20.
[2] *Mat.* 21, 7.
[3] *Mal.* 11, 28.
[4] *Is.* 53, 2, 8.

aceto et Jette (Ps. 68, 22). Item quod *manus ejus et pedes fodiendæ erant, et omnia ossa dinumeranda, et vestimenta dividenda (Ps.* 21,17-19). Sic moriturus describitur Messias in primo suo adventu.—Quæ omnia in morte Jesu fuisse completa, nemo qui legat historiam ejus in evangelistis et in aliis auctoribus, ignorat.

226 Concordant ergo in Jesu omnia quæ de Messia prophetata sunt in nativitate, in vita, in miraculis, in morte, in vocatione gentium, in vastatione reipublicæ Judæorum; neque possunt ista signa jam impleriin alio: præsertim quia illud templum jam est destructum, et totum illud regnum desolatum, ad quod venturus prædicitur Christus. Ergo non potest amplius sperari venturus.

227 Unde nervose Tertullianus *(Adversus Judæos,* cap. 13) [1]: "Hoc dicitur, inquit, cum pati prædicarentur Judæi propter Christum, et passos eos esse inveniamus, et in dispersione demorari cernamus, manifestum est propter Christum Judæis ista accidisse, conspirante sensu Scripturarum cum exitu rerum et ordinis temporum. Aut si nondum venit Christus propter quem haec passuri prædicabantur, cum venerit ergo patientur. Et ubi tunc filia Sion relinquenda, quæ nulla hodie est? Ubi civitates exurendæ, quæ jam in tumulis exustæ sunt? Ubi dispersio gentis, quæ jam extorris? Redde statum Judææ, quem Christus inveniat, et alium contende venire". Ita Tertullianus.

Θ

228 XIX. Ex dictis patet Legem Judæorum finiendam esse per Messiam (ut late Apostolus probat in epistola ad He- *n. 169

1 PL 2, 638.

bræos), translato[1] ab illa sacerdotio, ut exsurgeret alius sacerdos secundum ordinem Melchisedech; et propter imperfectionem talis Legis, quæ justificare non poterat. Nam *si ex lege* posset esse *justificatio, gratis Christus mortuus esset* pro peccatis[2]; moriturum vero pro illis apertissime dicitur *(Dan.* 9, 24; et *Is.* 53, 4-8): *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et livore ejus sanati sumus; posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, propter scelus populi mei percussi eum.* Si autem mors Christi necessaria fuit ad perficiendum quod non poterat Lex antiqua, ergo post mortem Christi non erat amplius duratura illa Lex, quæ solum præfigurabat Christum venturum, et non poterat perficere quod ipse perfecit.

229 Unde licet Scripturam antiquam veneremur, quia a Deo dictata, et præcepta ejus moralia etiam servemus: non tamen cæremonialia[3] quæ tunc observabantur, nunc observamus; quia illa non fuerunt data ut perpetua, sed quousque venirent hæc quæ in illis præfigurabantur, ut bene prosequitur Augustinus *(Contra Faust.* Lib. X)[4].

* * *

SOLVUNTUR ARGUMENTA

230 XX. **Primo arguitur:** quia Messias dicitur venturus ut sedeat super sedem David, et restauret regnum ejus, ut dicitur *(Ps.* 131, 11): *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam;* et *(Amos* 9, 11): *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit; (Luc.* 1, 32): *Dabit illi Dominus*

[1] Cf. *Heb.* 7, 12.
[2] Cf. *Gal.* 2, 21.
[3] Cf. Ia-IIae, q. 103, a. 3 et 4.
[4] PL 42, 243-244.

Deus sedem David, patris ejus. Sed Jesus Filius Mariæ non habuit sedem David, neque regnum ejus; sed valde pauper homo fuit, et crucifixus. Ergo non fuit verus Messias.

231 *Confirmatur:* quia in adventu Messiæ maxima Dei misericordia futura prædicitur; sed hæc futura est in ultimis sæculis mundi, ut dicitur *(Ps.* 91, 11): *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi;* ergo pertinet adventus Messiæ ad ultimum tempus, quod est senectus mundi. Item quia Jacob quando prænuntiavit filiis suis de Messia *(Gen.* 49, 1), dixit: *Congregamini, ut annuntiem vobis, quæ ventura sunt in diebus novissimis;* ergo adventus Messiæ pro ultimis sæculis expectandus est.

232 Denique, *restaurandum* dicitur *tabernaculum David, quod cecidit, sicut in diebus antiquis* [1]; sed maxime cecidit in destructione facta per Titum, et Vespasianum; ergo cum fuerit ædificatum sicut in diebus antiquis, tunc veniet Messias.

Θ

233 XXL **Respondetur,** quod Christus non prædicitur venturus ut sedeat super regnum terrenum David, quia David solum regnavit in Judæa et Palæstina; Messias autem prædicitur regnaturus super omnes gentes et totum orbem *(Ps.* 2, 8): *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ;* et *(Ps.* 71, 8): *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum;* non ergo regnum David accipi potest ita materialiter et determinate sicut fuit in David, sed pro spirituali regno ejus, in vera fide et religione sicut floruit tempore David.

[1] *Amos* 9,11.

234 Et quod hoc dominium et regnum in omnes gentes, non sit dominium temporale, neque modo temporali, constat: *tum* quia *(Dan.* 7, 14) dicitur de regno Messiæ, quod *potestas ejus erit potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur;* ergo non erit regnum temporale neque corruptibile, sed æternum in alia vita; *tum* quia *(Is.* 9, 6-7) dicitur quod erit *pater futuri sæculi, et multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut corroboret illud,* etc.: ergo ipsa Scriptura clare significat quod loquitur de regno David spirituali, siquidem ad regnum istud pertinet quod sit pater futuri sæculi.

235 Cur autem specialiter vocetur regnum David hoc regnum spirituale Christi? — *Dico* quod reges inde solent denominare regnum suum, ubi primum fundamentum regni ponitur, et leges publicantur. Fuit autem lex evangelica promulgata in monte Sion, ubi erat arx et palatium David; et in Jerusalem fuit primum fundamentum regni spiritualis Christi, juxta quod dicitur *(Is.* 2, 3): *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem;* et *(Mich.* 4, 7): *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum.* — Hoc autem ad litteram impletum est, cum super discipulos congregatos in monte Sion, a Christo missus est Spiritus Sanctus; quia ut dicitur *(Ps.* 109, 2): *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion;* quod in missione Spiritus Sancti impletum est, ut optime observat Cajetanus super istum psalmum: eo quod virga regni Christi est virga virtutis, id est, spiritus et gratiæ; et sic sedit super solium David, dum ex Sion ubi fuit solium David, missus est Spiritus Sanctus, mediante quo regnat in cordibus omnium gentium.

236 Et hoc totum propriissime convenit Jesu filio Mariæ;

quia ipso resurgente et ascendente in coelum, misit Spiritum Sanctum in discipulos [3], ut testatur historia Actuum Apostolorum; et hoc publicissimum [2] fuit apud ipsos Judæos: quia omnes illo die viderunt et audierunt Petrum et Apostolos loqui variis linguis, et constanter prædicare resurrectionem Domini Jesu, et hoc fuit effectus Spiritus Sancti.

237 XXII. *Ad confirmationem respondetur,* quod ille locus de senecta uberi[3] metaphorice loquitur, cum in Deo senectus non sit. Metaphora autem multis modis potest intelligi: et *in primis* dicitur *senectus in misericordia uberi,* non quoad ipsam Incarnationem, quæ potius dicitur futura in medio annorum *(Habac.* 3, 2): *In medio annorum notum facies;* sed quantum ad effectus aliquos Incarnationis: quia in ultimo tempore convertentur[4] Judæi ad Dominum, cum veniet Elias et restituet omnia; et quia in ultimo tempore erit plena glorificatio in resurrectione, in qua ostendetur uberrima misericordia Dei. n.23i

238 *Secundo* etiam dicitur *senectus in misericordia uberi,* intelligendo de ipso tempore Incarnationis, quod dicitur senectus, seu ultimum tempus mundi, quia lex gratiæ est ultima lex quæ durabit usque ad finem mundi, nec restat alia lex et beneficium Dei dandum in hoc sæculo. Ultima enim et plena glorificatio jam non erit in tempore, sed ultra tempus; et sic dicitur tempus legis gratiæ *novissima hora* (I *Joan.* 2, 18) et dicuntur *dies novissimi (Gen.* 49, 1); videatur de hoc D. Thomas, (Illa, q. 1, a. 6).

[1] Cf. *Aci.* 2, 1-4.
[2] Cf. *Act.* 26, 26.
[3] *Ci.Ps.* 91,11.
[*] Cf. *Rom.* 11, 26; *Mat.* 23, 39.

239 Locus autem ăddductus ex Amos[1] non loquitur de ædificatione regni et sedis David materiali, sed spirituali, ut interpretati sunt Apostoli *{Ad.* 15, 14-17), et ex ipso textu deducitur, quia subdit: *Erigam illud, et requirant cæteri hominum Dominum;* ergo loquitur de regno complectente omnes gentiles, quod utique non est regnum materiale David sed spirituale. *n·232

* ¥

240 **XXIII. Secundo arguitur:** quia locus ille *{Gen.* 49, 10): *Non auferetur sceptrum,* etc., non probat venisse Messiam eo tempore quo natus est Jesus; ergo neque quod sit ipse Christus. *Antecedens probatur:* nam sceptrum non defuit a tribu Juda, illo tempore quo natus est Jesus, sed vel ante, vel post.

241 Nam si loquamur de sceptro pro titulo regio, certum est defecisse in Jechonia, seu Sedecia, post quem cessaverunt reges in Juda. Unde dicitur *{Jer.* 22, 30) de Jechonia: *Scribe virum hunc sterilem: neque enim de semine ejus erit vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda;* ergo cessavit sceptrum et potestas in Juda a tempore Jechoniæ.

242 Item temporibus Machabæorum certum est ipsos fuisse principes in Judæa, et tamen non erant de tribu Juda. Dicitur enim (I *Mac.* 2,1) quod Mathathias, cujus filii postea regnaverunt, erat sacerdos de filiis Joarib: sacerdotes autem erant de tribu Levi; ergo cessavit sceptrum in tribu Juda, etiam quoad titulum ducis, et non solum regis.

[1] *Amos* 9,11.

243 *Quod si dicatur* ipsos saltem per maternum genus descendisse a tribu Juda. *Contra hoc* fit fortius argumentum, quia si sufficit maternum genus ut dicatur non cessasse sceptrum in Juda, quibus de jure competebat regnum, et earum filiis: non verificatur defecisse sceptrum tempore Jesu; constat enim, quod tempore Herodis, et multo tempore post, adhuc fuerunt qui ex materno genere descendebant de tribu Juda, et habebant jus ad regnum; ergo non defuit sceptrum in illo tempore quo natus est Jesus, sed multo post. ad 244 sci.

244 *Antecedens probatur:* nam *in primis* Herodes erat ex matre Judæa, ut dicit Cyrillus *{Contra Julianum,* Lib. VIII)[1] licet pater ejus esset alienigena; *deinde* quia duxit uxorem Mariamnem, neptem Hyrcani II pontificis, quæ erat legitima hæres regni, et ex illa natus est Aristobulus, ex quo Herodes Agrippa, qui regnavit apud Judæos tamquam legitimus rex, post mortem Jesu *{Act.* 12 et 26). ad. 243

245 Nec obstat, quod Judæi tunc erant sub Romanis, qui erant principes totius regni; nam etiam tempore Persarum, Persæ erant domini totius Judææ et Palæstinæ, ut constat ex libris Esdræ; et tamen adhuc remanebat sceptrum in Juda, licet subjectum sceptro Persarum, ut patet in Zorobabel et aliis successoribus: alias tunc defecisset sceptrum in Juda, et debuisset venire Messias.

246 Quod vero Judæi dixerunt[2]: *Non habemus regem, nisi Cæsarem,* hoc non sufficit: *tum* quia fuit privatum dictum, non juridicum; *tum* quia fuit dictum tempore passionis Jesu: unde si tunc primo defecit sceptrum, ergo antequam defecit jam venit Jesus: quod est contra prophetiam.

1 PG 76, 898.
2 *Joan.* 19, 15.

247 *Denique,* Herodes non erat rex, sed tyrannus; verus autem rex erat, qui ex Antigono vel ejus fratre Hyrcano, qui fuerunt veri reges, descendebat, ut Mariamne uxor Herodis, et si quis alius; ergo non verificatur quod defecerit sceptrum de Juda tempore Herodis, siquidem tunc erat legitimus hæres regni de tribu Juda, licet violenter et tyrannice oppressus ab Herode.

248 XXIV. **Respondetur** defecisse sceptrum de tribu n. 240
Juda eo tempore quo natus est Jesus, non ante, nec post.

249 Non ante, quia licet in Jechonia defecerit filius qui sederit super solium David, titulo et majestate regis, non tamen qui sederit ut princeps seu dux; constat enim, quod Zorobabel et deinceps ejus successores descendebant ex Jechonia, ut dicitur *{Mat.* 1, 11-13 et I *Par.* 3, 16-19); fuit autem Zorobabel dux in Juda, ut dicitur *(Agg.* 2, 3). Prophetia autem Jacob non restringitur ad titulum regis, sed comprehendit etiam titulum ducis, dum dicitur[1]: *Non deficiet sceptrum de Juda et dux de femore ejus;* vel communiori vocabulo in Hebræo: *non deficiet virga de Juda,* id est, principatus.

250 Quod vero attinet ad Machabæos, seu Asmonæos, constat quod licet essent ex tribu sacerdotali, tamen etiam de tribu Juda descendebant; et sic in Scriptura vocantur *viri Juda,* quod solum dici solet de descendentibus ex tali tribu; dicitur enim (I *Mac.* 5, 62-63) de quibusdam: *Ipsi non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel, et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu*

[1] *Gen.* 49, 10.

omnis Israel: qui utique non sunt alii quam Machabæi, quia per ipsos facta erat illa salus.

251 Constat autem quod tribus sacerdotalis cum tribu Juda copulabatur, quia Elisabeth dicitur cognata Mariæ *(Luc.* 1, 36) : et tamen Elisabeth erat de filiabus Aaron, ut ibidem dicitur ; et Maria ex tribu Juda, sicut Joseph vir ejus. Et *(Ex.* 6, 23), dicitur quod Aaron accepit uxorem Elisabeth filiam Aminadab, qui erat de tribu Juda: sed tamen tunc nondum erat lata lex de tribubus non miscendis[1].

252 XXV. *Ad replicam* vero contra istam responsionem dicitur, quod tempore Herodis totaliter defecit sceptrum de tribu Juda, tam ex genere paterno quam materno, quia Herodes fuit Idumaeus et gentilis, licet postea proselytus. ñ. 243

253 Quod vero Cyrillus dicit fuisse ex matre Judæa, id videtur errore librariorum positum et legendum ex matre Idumæa; nam ut refert Josephus *(Antiquit.,* Lib. XIV, cap. 7, n. 3), Antipater Herodis pater duxit uxorem Arabicam, Cypron nomine, ex qua sustulit quatuor filios, quorum unus Herodes fuit. ñ. 244

254 Quod vero ipse Herodes duxerit uxorem Mariamnem ex sanguine regio tribus Juda, *nihil obstat:* quia ipsi personæ Herodis collatum est regnum, et non uxori ejus. ñ. 244

255 *Primo* quidem ex senatus consulto, et beneficio Caesaris Augusti; tuncque extincto Antigone, qui ex familia Asmonæorum ad regnum aspirare poterat, tota illa familia deleta est, ut inquit Josephus *(Antiquit.,* Lib. XIV, cap. 16), saltem

1 Cf. *Luc.* 1, 5.
2 Cf. *Num.* 36, 9.

in linea masculina: remansit enim Mariamne, quæ Herodi nupsit.

256 *Deinde vero,* quia adhuc non sufficiebat iste titulus si populus non voluisset eum habere pro legitimo rege (remaneret enim solum tyrannus), dicimus quod tunc propriissime defecit sceptrum de Juda, quando populus consensit et acceptavit illum in regem, obedientiam et juramentum ei præstando; quod fecit populus, ut refert Josephus *{Antiquit.,* Lib. XVII, cap. 2, η. 6); et hac de causa animadvertit Herodes in quosdam Pharisæos, quia noluerunt ei obedire, ut ibidem testatur Josephus.

257 Hoc autem juramentum et obedientia non est facta uxori Herodis, sed ipsi personæ Herodis; et sic cum usque ad illud tempus pro illegitimo rege haberetur, nec verificaretur defecisse sceptrum de Juda: tamen ex quo populus consensit, sine dubio translatum est sceptrum de tribu Juda ad Herodem.

258 Contigit autem hoc juramentum et acceptatio populi illo ipso anno quo natus est Jesus ex Maria; nam Eusebius in *Chronico* | ponit illud in eadem olympiade, qua natus est Christus; et Philo in libro *de Temporibus* (si ejus est) ponit illud in anno trigesimo principatus Herodis, numerando hunc principatum ab illo anno quo Augusti beneficio illud obtinuit post devictum Antonium; ab illo enim anno regnavit Herodes triginta septem annos, et septimo anno Christi mortuus est: siquidem septem annorum erat puer Jesus cum relatus est ex Aegypto, Herode mortuo, ut videri potest apud Baronium *{Annal.,* an. 8, cap. 13). Quare trigesimus annus principatus Herodis a tempore Augusti Cæsaris concurrit cum primo anno Christi: et sic præcisus

| Nihil invenimus.

articulus adventus Messiæ fuit illomet anno quo defecit sceptrum de Juda.

259 Unde quando dixerunt Judæi[1]: *non habemus regem nisi Cæsarem,* non dicitur quod tunc primo receperunt illum pro rege; sed potius ista verba supponunt jam antea ipsos habuisse illum in regem et recepisse, scilicet quando juraverunt Herodi, qui erat factus rex a Cæsare. Quod nunquam fecerant Judæi, quando erant subditi Persis, sed tunc habebant suos peculiares duces de tribu Juda, ut Zorobabel et alios; non vero alienigena aliquis illis præficiebatur a Persis, neque acceptabatur ab ipsis. *n. 246

260 XXVI. Denique, nihil refert quod Herodes Agrippa, qui descendebat de tribu Juda per lineam maternam, scilicet ex Mariamne, postea regnaverit. Nam semel ablato sceptro a tribu Juda, ut factum est in primo Herode, jam adimpleta erat prophetia quod debebat venire Messias, quia solum dicebat quod *non auferetur sceptrum quousque veniat*[2] quod vero semel ablatum iterum rediret ad tribum Juda, hoc jam non pertinebat ad prophetiam. *il. 247

¥ ¥

261 XXVII. **Tertio arguitur** contra locum allatum ex capite IX Danielis, ex quo propter sui obscuritatem non videtur posse aliquid probari tamquam de fide.

262 Nam *in primis* ipsa computatio per hebdomadas extraordinaria est, et patens variis expositionibus et opinionibus; nec apparet qua ratione introducta sit ad tantum mysterium explicandum, vel potius occultandum. *n. 266sq

[1] *Joan.* 19,15.
[2] *Gen.* 49,10.

263 *Deinde* quia non ponitur Christus venturus determinate hebdomada septuagesima, sed quod post 62 hebdomadas occidetur Christus; qua autem hebdomada determinate non dicitur; qui enim dicit "post talem diem veniet", non continuo determinat qua die veniet, sed indefinite pronuntiat. *PL* 269 sq.

264 *Ad hæc* major obscuritas est quando dicitur[1]: *Usque ad Christum ducem hebdomadæ septem, et hebdomadæ sexaginta duæ erunt; et post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus.* Ad quid illa partitio hebdomadarum, septem et sexaginta duæ? In principio etiam dixerat[2], quod *septuaginta hebdomadæ abbreviates sunt usquequo ungatur Sanctus sanctorum;* non autem in morte sua unctus est Christus, sed in conceptione sua in qua fuit unctus divinitate; et tamen septuaginta hebdomadæ terminantur in morte, non in conceptione Christi. Denique dicit quod *confirmabit pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et juge sacrificium*[3]. In quo non apparet quæ sit illa hebdomada una; nam si est ipsa ultima et septuagesima, non verificatur quod in dimidio illius deficiet hostia: siquidem septuaginta hebdomadæ non complentur in dimidio illius, sed in ultimo, id est, in 490 annis; si autem est alia distincta, corruit totum nostrum fundamentum, quia nescimus quæ sit illa hebdomada, et ubi terminetur. *PL* 271 sq. *PL* 275 *PL*

265 Ut omittam quod hæc nostra sententia supponit in regno Græcorum, quod incœpit in Alexandro, fluxisse usque ad Joannem Simonis filium, qui est Hyrcanus, 194 annos; et exinde ad Christum 100; cum tamen constet (I *Mac.*

1 *Dan.* 9, 25-26.
2 *Dan.* 9, 24.
3 *Dan.* 9, 27.

16, 14) solum fluxisse 177 annos in regno Graecorum: et sic est error fere viginti annorum.

©

266 XXVII bis. **Respondetur:** supputationem istam per hebdomadas fuisse admodum familiarem et notam Judæis, eo quod juxta Legem *(Lev.* 25, 3-8) singulis septem annis, qui faciebant unam hebdomadam annorum, terra vacabat ab agricultura; et dicebatur annus ille *sabbaticus,* quia terra sabbatizabat, id est, non laborabat agricultura; et ex septem hebdomadis annorum, quæ sunt quadraginta novem anni, fiebat jubilæus in quo omnes possessiones venditæ ad priores dominos revertebantur. Unde maxime iste computus jubilæorum attendebatur pro contractibus et venditionibus celebrandis. ñ. 262

267 Anni autem septuaginta captivitatis dispositi sunt a Deo, ut terra toto illo tempore sabbatizaret, ut dicitur (II *Par.* 36, 21): *Cunctis diebus desolationis egit terra sabbatum;* et sic implevit decem annos sabbaticos, qui sunt septuaginta anni.

268 Cum ergo Daniel (9, 2-20) oraret Deum pro abbrevianda illa captivitate septuaginta annorum, qui sunt decem anni sabbatici, non fuit quoad hoc exauditus; sed revelatum est ei quo tempore fieret liberatio captivitatis totius generis humani per mortem Christi, computando non decem annos sabbaticos, qui sunt 70 anni, sed decem jubilæa, quæ sunt 490 anni seu hebdomadæ 70. Et convenientissime per computationem jubilæorum exprimi debuit, eo quod tempus illud redemptionis Christi fuit summum jubilaeum in quo totum genus humanum ad pristinam possessionem paradisi reductum est.

269 XXVIII. *Quod vero dicitur* non poni tempus determinatum, quo Christus moreretur: *respondetur* Angelum prius diffinite determinasse tempus redemptionis faciendæ in morte Christi, dicendo[1]:* *Septuaginta hebdomadae abbreviates sunt super populum tuum, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et impleatur visio, et ungatur Sanctus sanctorum;* ubi omnes istæ actiones ad nostram redemptionem pertinentes consummandæ dicuntur in illis septuaginta hebdomadibus abbreviatis seu præcisis. *n. 263

270 Postea vero fecit divisionem istarum hebdomadarum propter rationem statim adducendam. Et ita, cum dixit[2] quod *post septem, et sexaginta* duas hebdomadas occidetur Christus, ly *post* non relinquit tempus indeterminatum, sed intelligitur immediate post, id est, hebdomada septuagesima: eo quod jam superius dixerat septuaginta hebdomadas esse abbreviatas, ita quod ultra ullas non poterat hoc extendi. Ergo cum dicitur *post septem et sexaginta duas,* intelligitur immediate post.

271 XXIX. *Quando autem dicitur* ad quid Angelus numeravit per partes illas hebdomadas, dicendo[3]: *Usque ad Christum ducem hebdomadae septem et sexaginta duæ erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum, et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus?— Respondetur,* id consulto fecisse Angelum, ut designaret Danieli tempus in quo erat reædificanda Jerosolyma juxta paupertatem et angustiam illorum temporum. Quia enim Daniel postulaverat a Deo liberationem captivitatis et reædificationem Jerosolymæ, voluit etiam in hoc Deus illi revelare non quidem terminationem captivitatis (quia n. 264

[1] *Dan.* 9,24.
[2] *Dan.* 9, 25-26.
[3] *Dan.* 9, 25-26.

hæc jam erat expressa apud Jeremiam [1], quod facienda erat post septuaginta annos), sed reædificationem civitatis post captivitatem.

272 Et ad hoc prædixit illi a quo tempore erant numerandæ 70 hebdomadæ, seu decem jubilæa, usque ad liberationem captivitatis humanæ per redemptionem Christi: scilicet, quod inciperent numerari *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*, seu a secundo decreto reædificationis ejus, quod datum est septimo anno Artaxerxis, ut ostensum est. *n. 20330

273 Sed cum hac distinctione, quod intra primas septem hebdomadas, seu intra primum jubilæum ab illo secundo decreto computandum, ædificabitur murus et platea Jerusalem: in hoc enim plures anni consumpti sunt, cum a vigesimo anno Artaxerxis et deinceps ædificatus sit murus a Nehemia, ut dicitur (II *Esd.* 1 et 2). Exinde vero post illas septem primas hebdomadas, quibus ædificabitur murus et platea Jerusalem, restabunt usque ad occisionem Christi 62 hebdomadæ, ita quod immediate post illas occidetur.

274 Et sic oportet applicare singula singulis: scilicet quod ædificatio plateæ et muri correspondent primis septem hebdomadibus post annum septimum Artaxerxis, id est, post secundum decretum: quasi hæc ædificatio facienda sit intra primum jubilæum post illud secundum decretum: occisio vero Christi non intra, sed post sexaginta duas hebdomadas ultra illas septem priores, id est, in ipsa septuagesima hebdomada annorum.

275 *Quod vero dicitur* unctionem Christi non esse in morte ejus, sed in conceptione: *respondetur,* quod loquitur de *n. 2^4

[1] Jer. 25,11-12.

unctione non ut præcise sanctificante humanitatem Christi, sed ut consummante redemptionem nostram, et sanctificante nos; quod fuit quando unctus est sanguine suo, ut redemptor in cruce.

276 XXX. Ad ultimum de illis verbis *: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una,* etc., fateor verba esse obscurissima, et quæ valde torquent expositores. Certum tamen videtur, loqui ibi de confirmatione pacti, seu testamenti novi, quod intercedente morte Christi testatoris confirmatum est, et disruptum antiquum: sicque cessavit hostia et sacrificium antiquum, expleta jam redemptione facta per hostiam Christi. n. 264

277 Relictis ergo variis interpretationibus, quod *probabilius* videtur, et inhærentius litteræ, est quod Angelus declarans Danieli tempus venturi Messiæ computando per hebdomadas seu annos sabbaticos et jubilæa, oportuit declarare quomodo istæ hebdomadæ et jubilæa non concurrebant, nec pari cursu numerabantur cum annis ordinariis sabbaticis et jubilæis, quæ in populo celebrabantur et notabantur pro venditionibus et cessatione agriculture et aliis similibus juxta Legem *(Lev.* 25, 2-33).

278 Revera enim annus quo mortuus est Christus non fuit annus sabbaticus terre, sed quartus, vel circiter a sabbatico currente; et hoc fuit mori in dimidio hebdomadæ ordinariæ et currentis pro cultura terre, licet esset in fine hebdomadæ computandæ ab initio illarum septuaginta de quibus loquebatur Angelus.

279 *Constat hoc,* quia ultimus annus sabbaticus terre qui in Scriptura notatus reperitur est I *Mac.* 6, 20 sq., ubi dicitur

* *Dan.* 9, 27.

quod anno centesimo quinquagesimo regni Græcorum obsedit Judas arcem Jerusalem, et venit Antiochus Eupator contra eum cum exercitu validissimo et elephantis; subditque[1] sacer textus, quod *want tunc sabbata terræ; et* infra[2]: *Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset.* Ab illo autem anno usque ad mortem Christi fluxerunt anni 194, paulo plus; qui faciunt viginti septem sabbaticos, et quatuor annos, paulo plus; et sic annus mortis Christi non fuit sabbaticus, sed fuit in dimidio sabbatici, paulo post: quod est in dimidio hebdomadæ currentis pro sabbato terræ.

280 Quod autem tot anni fluxerint, patet: quia regnum Græcorum juxta quod fit supputatio in libris Machabæorum, non incœpit a morte Alexandri; sed incepit a Seleuco Nicatore, a quo fundatum est regnum Græcorum in Syria post obitum Alexandri, id est, olympiade 117, ut affirmat Eusebius [3],* et Sanctus Hieronymus (In *Dan.,* super 9) [4]. Quod etiam patet ex inscriptione Concilii Nicæni I [5], quod fuit celebratum anno 325 Christi nati: dicitur autem in eodem Concilio, quod fuit æra Alexandri 636.

281 Unde fit, quod Christus natus est æra 311 Alexandri, subtrahendo 325 a numero 636. Quod non potest esse ab obitu ipso Alexandri, sed a Seleuco Nicatore, qui fundavit regnum Græcorum in Syria, et ex eo computantur anni regni Græcorum in Machabæis, Alexander enim mortuus est circa Olympiadem 114 et Christus natus est olympiade 194 anno ejus secundo: unde intercedunt ab obitu Alexandri usque ad Christum plus quam octoginta olympiades, id est,

1 I *Mac.* 6, 49.
2 I *Mac.* 6, 53.
3 In *Chron.,* Olymp. 117; PG 19, 493-4.
4 PL 25, 545.
5 Msi VI, 955.

plusquam 320 anni, non 311. Computando ergo 311 usque ad natum Christum in æra Alexandri seu regni Græcorum, ut sumitur ex supputatione Concilii Nicæni, currebat ex istis annus 150 illo anno qui fuit sabbaticus (I *Mac.* 6, 20, 49, 53); ergo ab illo sabbatico numerantur usque ad Christum natum 161, et addendo 33 vitæ Christi, currebat in morte ejus annus 194 ab illo sabbatico Machabæorum; qui, ut diximus, efficunt viginti septem sabbaticos, et quatuor annos paulo plus; et sic passus est Christus in quarto anno sabbatici, id est, in dimidio hebdomadæ currentis et ordinariæ pro populo.

282 Quare sic videntur intelligenda illa verba [1]: *Confirmabit pactum multis hebdomada una,* id est, hebdomada ultima illarum septuaginta: tunc enim confirmatum est pactum, seu testamentum novum. *Et in dimidio hebdomadæ,* non illius septuagesimæ (hæc enim fuit completa in morte Christi), sed hebdomadæ currentis et ordinariæ pro agricultura terræ (eo quod non fuit annus sabbaticus, sed dimidium illius): tunc *deficiet hostia et sacrificium,* id est, hostia et sacrificium antiquum, per hostiam et sacrificium Christi in cruce.

283 Quando autem subdit: *Et erit in templo abominatio desolationis,* hoc non pertinet ad illam dimidiam hebdomadam in qua deficiet hostia et sacrificium, sed ad illa verba antecedentia: *Et post finem belli statuta desolatio*[2]; miscentur enim diversæ clausulæ et interponuntur in hac prophetia, quarum singulæ singulis applicari debent, et ordinate disponi. Abominatio autem desolationis et statuta desolatio pertinet ad tempus quo a Tito civitas desolata est, quia illa fuit desolatio statuta, id est, firma et perpetua.

[1] *Dan.* 9,27.
[2] *Dan.* 9, 26.

284 Et sic videntur constare omnia quæ in ista prophetia dicuntur; licet propter sui magnitudinem profunda sit et obscura valde, ideoque indigeat magna attentione et advertentia.

285 XXXI. An vero ille annus quo mortuus est Christus, fuerit annus jubilæi currentis apud Judæos; an vero in dimidio jubilæi, ut undique constet in dimidio hebdomadæ tam sabbaticæ quam jubilæi defecisse hostiam antiquam: *licet* hoc nobis necessarium non sit, sed quæ dicta sunt sufficiant pro dimidio hebdomadæ explicando; nec modo disputare possimus, quando incœpit primum jubilæum computari,—ari a primo vel secundo anno post ingressum primum filiorum Israel in terra Promissionis, quando primo comederunt fructus terræ, et consequenter agriculturam incœperunt; an vero post divisionem terræ totaliter jam devictæ et acquisitæ.

286 *Tamen sustinendo* nunc ut probabilius, quod immediate post ingressum terræ incepit computari primum jubilæuih (ut videtur probari juxta litteram textus *Lev.* 25, 2, 8: *Cum ingressi fueritis terram, sabbatizes sabbatum Domino; numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, etc.',* tunc enim vel saltem sequenti anno incœperunt colere aliquam partem terræ, ut habere possent fructus, licet tota terra non nisi post quinque annos a primo ingressu fuerit devicta): et ab exitu Israel de Egypto usque ad Christum natum computantur 1503 anni vel circiter, et consequenter ab ingressu terræ (qui fuit quadragesimo anno egressionis vel anno sequenti) incepit primum jubilæum, et computantur usque ad Christum natum anni 1462 vel 1463: *inveniemus* quod triginta jubilæa efficiunt annos 1470, dando cuilibet jubilæo quadraginta novem annos plenos, ut dicitur *(Lev.*

25, 8): et sic jubilæum trigesimum completum est anno septimo vel octavo Christi. Et sic quando crucifixus est, erat annus vigesimus sextus vel vigesimus quintus jubilæi trigesimi primi currentis: quod fuit fere in dimidio jubilæi, paulo plus; atque adeo in dimidio jubilæi, et in dimidio hebdomadæ anni sabbatici defecit hostia et sacrificium, et confirmatum est pactum Novi Testamenti.

ARTICULUS III

OSTENDITUR CONTRA HÆRETICOS, SOLAM FIDEM CATHOLICAM ESSE VERAM.

Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos (Ps. 18,9).

Qui superbierit nolens obedire sacerdoti, et decreto judicis, morietur homo ille (Deut. 17, 12). *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, cum sit proprio judicio condemnatus (Tit.,* 3, 10-11).

* * *

287 I. Materia hæresum varia est et multiplex, et ideo non possumus contra singulos errores in præsenti tractare, sed contra illos agetur in diversis materiis theologicis prout occurerit occasio in materiis circa quas erratur; at vero forma, seu formalis ratio in quam hæreses omnes conspirant, est oppositio ad Ecclesiam quatenus est proponens res fidei: cujus judicio et determinationi in proponendo, stare nolunt.

288 Ut enim inquit Cyprianus *(Epist.* XII *ad Cornelium)*[1] "Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice

1 PL 3, 802-803.

Christi cogitatur". Et *(De Unitate Cath. Ecclesiæ* cap. 3 et 4) i; "Hoc, inquit, eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri coelestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non vincent eam". Et infra: "Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit ?"

289 II. Quod ergo in hac parte difficultatem facit, est argumentum quod omnes partes urgere videntur.

290 Nam *catholici* dicunt normam, seu canonem regulandi fidem, esse Scripturam; judicem vero in difficultatibus, expositionibus, translationibus et aliis similibus controversiis, esse Ecclesiam seu Pontificem : et utrumque esse infallibile.

291 *Hæretici vero,* præsertim puritani hoc tempore, et alii, volunt nos debere stare puro Dei verbo, et tamquam judici, et tamquam normæ seu regulæ fidei.

292 Contra *catholicos* fit illud argumentum vulgare, quia videntur circulum vitiosum committere. Quærenti enim unde scimus Scripturam esse infallibilem, respondemus: quia Ecclesia proponit. Et rursum quærenti unde constat Ecclesiam esse infallibilem, respondemus: quia Scriptura id dicit; quod est circulum committere. ñ. 340sq.

J PL 4, 498-500.

293 E contra vero *hæretici* validius urgentur, cum inquirimus ab ipsis: unde constat hanc Scripturam, cui tamquam puro Dei verbo credunt, esse divinam et legitimam et non corruptam? Unde hoc discernunt? Vel ex ipsa Scriptura id judicant, vel ex alio principio præter Scripturam.

294 *Si ex ipsa Scriptura,* petitur principium. Hoc enim est quod inquirimus, unde constat nobis hanc Scripturam esse legitimam, esse bene translatam, bene expositam, non depravatam, neque corruptam: cum his omnibus defectibus subjaceant libri in quibus Scriptura continetur.

295 *Si ex alio principio præter Scripturam: in primis* jam non statur puro Dei verbo, sed ad aliud principium devolvimur. — *Et secundo,* inquiro quodnam sit illud principium, unde hoc infallibiliter judicatur? *Vel* enim constat illis certo hanc esse legitimam Scripturam ex proprio cujuscumque spiritu. *Vel* quia sic acceperunt illam a Judaeis et Synagoga, cui primo tradita est. *Vel* quia illam acceperunt ab Ecclesia nostra visibili. *Vel* quia illam acceperunt a sua Ecclesia invisibili quam fingunt.

296 *Primum* stare non potest; quia si proprio spiritui credendum est, contradicitur ipsi Scripturæ cum dicit: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum* (1 *Joan.* 4, 1) et redit difficultas unde probandi sunt isti spiritus. Et cum tot sint spiritus et sententiæ quot capita, et inter se valde dissentiant et opponantur ipsae sententiæ, multo major confusio orietur et incertitudo: cum non sit major ratio cur credatur mihi, quam tibi vel aliis. Et quomodo committeret Deus rem ita infallibilem et certam sicut est fides, rei incertissimæ et defectuosissimæ et inter se contradictorie repugnanti, sicut est varietas spirituum in unoquoque homine? 295

297 *Si secundum:* quomodo credunt Synagogæ, et non Ecclesiæ? Unde constat Synagogam non potuisse errare in tradendis Scripturis, cum jam sit ejecta et repudiata, et Ecclesiam potuisse? Et præsertim Evangelium et Novum Testamentum a Synagoga accipere non potuerunt, sed a nostra Ecclesia: ergo saltem in illo tradendo Ecclesia non errat; aut si potest errare, non ergo ipsi sunt certi quod habent purum Dei verbum in Novo Testamento. Et ab eo tempore ex quo Synagoga defecit usque ad nos, unde constat hanc Scripturam quam modo habemus, non esse depravatam in tot translationibus, controversiis, expositionibus? Et ipsi Judaei pleni sunt mille erroribus et depravationibus Scripturæ; et ipsa Hebraica littera multis patet versionibus et depravationibus. 295

298 *Si tertium:* jam fatentur Ecclesiam nostram errare non posse in tradendis et proponendis veris Scripturis, si ideo illis credunt quia ab Ecclesia acceperunt. *n·295

299 *Si quartum* : in primis non constat quæ sit ista Ecclesia invisibilis, nisi sint proprii spiritus cujuscumque: qui in unum congregati ut faciant Ecclesiam invisibilem, non unum quid sentiunt, sed tot sententias (easque contradictorias) habent quot capita; fides autem debet esse una, quia vera. Et sic reditur ad primam difficultatem; vel quidquid aliud sit, restat eadem difficultas: unde constat illam Ecclesiam invisibilem deficere non posse, et habere nunc sincerum Dei verbum, sicut dicunt nostram defecisse paulatim et inadvertenter? Quod si potest deficere: unde constat quod non defecerit? *n-295

300 Quare undique manent hæretici perplexi, et confusi in sua fide. Et tandem multi videntur desperare, non invenientes in quo quiescant, et potius eligunt nihil credere, et

incidunt in atheismum. Vel putant in quacumque fide quemlibet posse salvari: quo nihil pejus, cum varietas fidei tollat ejus unitatem, et consequenter veritatem: veritas enim una est, non contradicens sibi; quandoque autem una istarum sectarum contradicit alteri, cum tamen sit *unus Deus, una fides* [1], et *sine fide impossibile sit placere Deo* [2], ut inquit Paulus, et consequenter neque salvari.

* * *

301 **III. QUARE OMNINO DICENDUM EST dari in Ecclesia judicem infallibilem in proponenda et discernenda doctrina fidei, et ejus controversiis; licet Scriptura habeat vim regulæ et normæ secundum quam judicatur de istis. Et talis judex est successor Petri, Romanus Pontifex.**

302 In qua conclusione unanimiter catholici conveniunt: imo per eam solum ab hæreticis discernuntur. Eam vero acceperunt ex ipsa Scriptura, ex traditione viva, ex Patrum consensu, ex ratione. Et sic constat omni probatione qua potest res fidei constare, et præsertim illa e cujus certitudine dependet omnis securitas doctrinæ fidei.

* * «

303 IV. **Et in primis,** contra hæreticos probatur ad hominem haec conclusio. Nam ipsi volunt Scripturam esse judicem in controversiis fidei, et solum verbo Dei scripto standum esse. Sed Scriptura ipsa, quam hæretici rêcipiunt, docet Ecclesiam errare non posse, et quod ad ipsam pertinet

[1] *Eph.* 4, 5-6.
[2] *Heb.* 11, 6.

confirmare nos in fide, et controversias ejus sedare. Ergo sicut acceptant Scripturas quoad alia, cur non acceptant quoad istum articulum ?

304 *Minor probatur:* nam in primis in Lege Veteri erat potestas in Ecclesia ad discernendum controversias de Lege, de cæremoniis, de mandato, quod totum pertinebat ad ipsam Scripturam, et generaliter de quocumque judicio ambiguo, ut constat *(Deut.* 17, 12) ; et qui non obedierit decreto sacerdotis morte condemnatur. Et quod posset determinare de mandato, de Lege, de cæremoniis, etc. constat (II *Par.* 19, 10): *Omnem causam quæ venerit ad vos, ubicumque quæstio est de Lege, de mandato, de cæremoniis, ostendite eis.*

305 *Quod si dicas·,* in illo loco Deuteronomii non solum dici recurrendum esse ad sacerdotes, sed etiam ad judices terræ: ergo vel judices laici debebant cognoscere de causis fidei, quod non admittemus, vel non est ibi sermo de causis fidei cum datur recursus ad judicium sacerdotis.

306 *Respondetur:* ibi fieri sermonem in generali de omni judicio ambiguo, sive sit sæculare et pertineat ad laicos, sive ecclesiasticum et pertineat ad sacerdotes; postea vero discernitur, quid pertineat ad unumquemque. Nam in illo loco (II *Par.* 19, 6-7) judicibus constitutis per civitates dicitur: *Ut exerceant judicium sine acceptione personarum et munerum.*— De levitis vero et sacerdotibus dicitur specialiter quod *omnem causam inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de Lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendant fratribus suis.*

307 Pertinebat ergo ad judicium sacerdotum determinare et explicare populo dubia, seu quæstiones de Lege et mandato: quæ utique ad Scripturam pertinent. Et hoc ita

infallibiliter, ut qui non obedierit, morte morietur: et sic non erat solum doctrina privata, sed auctoritativa. Quod ipsum approbat Christus Dominus *{Mat.* 23, 2-3): *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; quæcumque ergo dixerint vobis, servate etfacite.* Ergo ad ipsam cathedram pertinebat judicare de his quæ servanda sunt: in quibus utique res fidei continentur.

308 V. Ex Novo autem Testamento idem constat expressius quam in Veteri, nam *{Mat.* 16, 18) dicitur ad Petrum: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portse inferi non praevalebunt adversus eam.* Si autem Ecclesia posset deficere in fide proponenda et judicanda, portæ inferi adversus eam prævalerent: siquidem deciperent eam, et deciperentur alii per eam, hoc ipso quod in fide non subsisteret, sed deficeret; ergo, etc.

309 Item *{Luc.* 22, 32), dicitur ad Petrum: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus 'confirma fratres tuos.* Sed haec confirmatio fratrum, et indeficientia in fide, non solum erat necessaria in persona Petri, et durante ejus vita, sed pro tempore toto quo Ecclesia durat: cum non minus sint dubia et controversiæ in fide nunc, quam tunc. Ergo ad Petrum, et ad successores Petri recurrendum est pro confirmatione et judicio fidei.

310 Et eadem ratione dicitur Ecclesia *columna, et firmamentum veritatis* (I *Tim.* 3, 15); veritas autem maxime continetur in his quæ sunt fidei; ergo fides per Ecclesiam firmanda est.

311 Denique, id ostendit praxis Apostolorum. Nam cum magna quæstio insurrexisset inter fideles de observatione Legalium, recurrerunt ad Apostolos et seniores *{Act.* 15)

qui quæstionem determinaverunt, et præceperunt Ecclesiis observare. Et sic Paulus, ut dicitur in eodem capite[1], perambulabat *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum.* Ergo in Ecclesia, seu prælatis ejus, potestas est ad declarandas controversias fidei, qualis erat hæc de obligatione observandi Legalia.

312 Igitur si hæretici volunt standum esse puro Dei verbo et Scripturæ, quare Scripturam non observant, quæ talem Ecclesiæ et Petro deferat auctoritatem ?

* ¥

313 VI. Ex hac Apostolorum praxi, constat per continuatam successionem et traditionem in Ecclesia, hanc veritatem comprobari.

314 Nam in omni controversia de fide semper recurrebatur ad Concilia et ad Sedem Apostolicam, et per ejus judicium terminabantur controversiæ fidei; similiter per ipsos condamnatæ sunt hæreses usque ad hæc tempora; quorum errores etiam hæretici nostri temporis abominantur, ut Arii, Nestorii, Macedonii et similium, quos errasse constat quia Ecclesia illos ut hæreticos condemnavit. Est ergo potestas in Ecclesia ad discernendum et judicandum quæ sit vera fides, et quis sit error in fide; quod si id infallibiliter non faceret, nunquam certi essemus quod ille esset error, et ista esset fides vera.

315 *Quod si dicatur:* hos errores non ideo tamquam hæreses haberi quia Ecclesia condemnavit, sed quia juxta Scripturam condemnavit, quod quilibet facere poterat. *Sed nos dicimus:* quod Scriptura est norma seu regula, Ecclesia vero est judex

[1] *Act.* 15, 41.

hanc regulam applicans, et declarans nobis ea quæ fidei sunt. Non potest autem quilibet hoc declarare, resolutorie determinando et infallibiliter: cum de hoc ipso sit tota controversia, an contineatur in Scriptura id quod Ecclesia sic proponit et declarat: et quidam negent, alii affirment. Unde si quilibet posset hoc declarare, quilibet pro sua parte pronuntiaret, et manerent omnes in eadem confusione. Ergo oportet quod ipsa declaratio et propositio Ecclesiæ careat omni suspicione et fallibilitate, alias semper dubitaremus, an ita contineatur in Scriptura. Quod si est infallibilis, obligat ut teneatur.

316 VI. bis. *Respondent haeretici:* fuisse in Ecclesia potestatem hanc, aliquanto tempore, scilicet primis 400 vel 600 annis, quibus purum Dei verbum retinuit; sed postmodum defecisse, cum ad traditiones se convertit, nec solo verbo Dei innixa est.

317 *Sed haec responsio* omnem evacuat certitudinem et securitatem doctrinæ fidei, et manifeste falsa est. *Primo,* quia est contra expressam promissionem Christi, qui dixit *{Mat.* 28, 20): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi:* et *{Mat.* 16, 18): *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Si autem semel tota Ecclesia deficeret a fide, utique contra eam prævalerent portæ inferi, et Christus non permaneret cum ipsa usque ad consummationem sæculi. — Neque enim sufficiebat ad hoc verificandum, quod Christus subrogaret aliam Ecclesiam, et istam relinqueret. Nam eadem ratione dici posset quod manet cum Synagoga, et non reliquit eam usque ad consummationem sæculi: siquidem licet repudiaverit illam, subrogavit tamen Ecclesiam. Ergo non sufficiet ad verificandam illam promissionem Christi, dicere quod Ecclesiam primam deseruit, et reformatorum Ecclesiam subrogavit.

318 VI ter. *Secundo* quia Ecclesia illis primis 400 annis *n. 317
etiam sequebatur traditiones non scriptas sicut modo.

319 Constat enim quod Stephanus Papa, in Concilio in quo condemnavit episcopos Africæ in articulo de baptismo haereticorum non revalidando, solum ex traditione id definivit; ut etiam refert ipse Cyprianus, qui oppositum sensit, (Epist. LXXIV *ad Pompeium)* [1] et videri etiam potest apud Augustinum, *(De Bapl. contra Donat.,* Lib. IV, cap. 24)[2]* Gessit autem pontificatum Stephanus[3] sub Gallieno et Valeriano principibus.

320 Et Patres qui illis temporibus vixerunt, aperte traditiones receperunt juxta praeceptum Apostoli (II *Thess.* 2, 15): *State et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram;* ubi aperte distinguit traditionem sermonis a verbo scripto per epistolam.

321 Easdem traditiones aperte testatur Tertullianus *(De Corona,* cap. 2 sq.)[4]* et *(De Præscrip.* cap. 19 sq.)[6] ubi ostendit, quando agitur contra haereticos, relinquendam esse controversiam de Scripturis, neque ad eas provocandum, sed ad Ecclesias fundatas ab Apostolis et ad traditiones earum.

322 Videri etiam potest Epiphanius *(Adv. hæreses,* Hær. 61, 6) [8]; Basilius *(De Spir. Sancto,* cap. 27, 10, 29) [9]; Augustinus *(loco citato)*[10] et (Epist. LIV *Ad Januarium,* cap. lsq.) [11],

1 PL 3, 1128-1137. Cf. Hef.-L.I, 172-191.
2 PL 43, 192.
3 A.D. 254-257.
4 PL 2, 78 sq.
6 PL 2, 31 sq.
8 PG 41, 1048.
9 PG 32, 187, 111, 199.
10 PL 43,192.
11 PL 33, 200.

et *(De Bapt. contra Donat.,* Lib. IV, cap. 24) [1].—Qui omnes Patres fuerunt illis primis 400 vel 500 annis, quibus hæretici fatentur Ecclesiam non defecisse; et tamen, si propterea defecit postea, quia non est secuta purum Dei verbum sed etiam traditiones: manifestum est quod tunc etiam debuisset deficere, quia eas etiam tunc habuerunt; nec modo nos habemus alias, quam eas quas tunc ipsi nobis tradiderunt.

323 VII. *Denique* non propter traditiones hominum debuit statim Ecclesia repudiari a Christo, et alia nova erigi in istis reformatis, contra promissionem suam quod maneret nobiscum usque ad consummationem sæculi; neque enim durius agere debuit Christus contra Ecclesiam suam, quam egit contra Synagogam, quam de facto repudiavit, quia impletæ sunt figuræ veniente veritate. 317

324 Constat autem quod Synagoga observabat plures traditiones seniorum, etiam *transgrediendo mandata Dei propter traditiones suas,* ut dicitur *(Mat.* 15, 3): et tamen tolerabatur a Deo; nec repudiata fuit ob hoc solum, quousque implerentur omnia quæ ipsum promittebant et figurabant; et tunc novum Christi Evangelium prædicatum est in mundo, *Contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus,* ut dicitur *(Heb.* 2, 4): cum tamen etiam in ipsis prophetis prædictum fuisset, Synagogam non duraturam nisi usque ad Christum, et feriendum esse novum pactum seu testamentum cum domo Israel, ut Apostolus probat in epistola ad Hebraeos [2].

325 Quomodo ergo credendum est Christum Ecclesiam suam deseruisse et novam fundasse, ex eo quod sequebatur traditiones; non existente de hoc aliqua determinati temporis

[1] PL 43, 174.
[2] *Heb.* cap. 7-10.

designatione usque ad quod duraret, sed potius quod usque ad finem sæculi; non existente etiam speciali revelatione, nullis miraculis, signis aut virtutibus rem tantam confirmantibus; contra expressum Christi Domini verbum et promissionem, quod portæ inferi non praevalerent adversus Ecclesiam quam tunc fundabat, et quod maneret cum ea usque ad consummationem sæculi?—sed solum propter nudum et simplex dictum hæreticorum, qui hoc sine ullo fundamento affirmant, moventur tot homines ad relinquendam antiquam fidem et Ecclesiam Dei, nihil certi habentes quod sequantur, nisi vanitatem et cæcitatem suorum ministrorum ».

* ¥

326 VIII. *Quod attinet ad* **consensum sanctorum Patrum** longum esset omnes referre qui hanc doctrinam constantissime tradunt, quod Ecclesia in omnibus sit sequenda, et quia hæreses inde oriuntur quia Ecclesiæ non credunt. *η·302

327 Videatur Tertullianus (De *Præscript.,* cap. 19)[2] et S. Cyprianus (De *Unitate Cath. Ecclesiæ,* cap. 3 et 4)[3] quem supra citavimus; et S. Hieronymus (Epist. XV *Ad Damasum)* «: "Ego, inquit, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio". Et (Epist. XVI, n. 2) »: "Ego interim clamito: si quis cathedræ Petri jungitur, meus est". Ergo hæretici omnes hujus temporis, qui cathedræ Petri *n-288

1 Cf. *Joan.* 5, 43.
2 PL 2, 31-33.
3 PL 4, 498-500
4 PL 22, 355.
3 PL 22, 359.

resistunt et Papam dicunt esse Antichristum, Hieronymi socii non sunt.

328 Item Augustinus, *(Contra Epist. Manich.,* cap. 5) [1]: "Ego quidem Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ moveret auctoritas. Quibus ego obtemperavi dicentibus: Credite Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi: Noli credere Manichæo?"

329 Et hæc ratio, quia validissima est contra haereticos hujus temporis, sic illam urgeo ex ipsis verbis Augustini ibidem: "Elige, inquit, quid velis. Si dixeris, inquit, crede catholicis; ipsi me monent ut nullam fidem accomodem vobis. Si dixeris: Noli catholicis credere; non recte facies per Evangelium me cogere ad Manichaei fidem (vel reformatorum nostri temporis): quia ipsi Evangelio catholicis praedicantibus credidi: si autem dixeris: Recte credidisti catholicis laudantibus Evangelium, sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichaeum: usque adeo me stultum putas, ut nulla ratione quod vis credam, quod vis non credam? Multo quippe justius et cautius facio, si catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo: nisi me non credere jusseris, sed manifestissime atque apertissime scire aliquid feceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es, dimitte Evangelium. Si ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus praecipientibus Evangelio credidi: et his jubentibus tibi omnino non credam. Quod si forte in Evangelio aliquid apertissimum de Manichaei apostolatu (de haereticis reformatis) invenire potueris, infirmabis mihi catholicorum auctoritatem, qui jubent ut tibi non credam: qua infirmata jam neque Evangelio credere potero, quia per eos illi credideram; ita nihil apud me valebit, quidquid inde protuleris".

1 PL 42,176.

330 Ita Augustinus, qui hac ratione manifeste constringit haereticos, ut supra contra ipsos arguebamus; quia Evangelium cui ipsi credunt, est idem quod nostrum, et tam ipsi quam nos ab Ecclesia illud accepimus. Unde si credunt hoc Evangelium esse legitimum et infallibile necesse est quod credant Ecclesiam in ipso proponendo et discernendo errare non posse: nam si potuit errare, unde constat non errasse in tali Evangelio proponendo? Et consequenter incerti sunt de ipso Evangelio. Si autem Ecclesia errare non potuit: ergo neque aliis fidei decretis quæ nobis proponit, et præsertim in hoc quod ipsis hæreticis non credamus. — Si autem aliunde acceperunt Evangelium quam ab Ecclesia, a quocumque acceperint, eadem manet difficultas: unde certificantur de infallibilitate talis proponentis, quod noh erravit in proponendo illo Evangelio tamquam rem de fide? 293siJ *n'

¥ ¥331

331 IX. *Ultimo*, deducitur hoc ipsum* **ratione:** quia etiam stante Scriptura et puro Dei verbo, nihilominus multæ et diversæ hæreses oriundæ prævidebantur, juxta illud Apostoli (I *Cor.* 11, 19): *Oportet et hæreses esse;* depravationem etiam Scripturarum a multis fieri dicitur (II *Pet.* 3, 16). Ergo de se Scriptura patet depravationibus, corruptionibus variisque interpretationibus juxta eujusque libitum, et quilibet suam sententiam Scripturæ conformem esse existimet; ergo si in tanta confusione et contrarietate sententiarum non esset constitutus a Deo aliquis judex qui posset veram et legitimam fidem discernere et spuriam seu erroneam condemnare infallibiliter, non esset provisum a Deo sufficienter circa rem adeo necessariam sicut est legitima et infallibilis fides ejusque determinatio, ne semper fluctuemus ». *n·302

1 Cf. *Eph.* 4, 14.

332 X. Quod si admittatur debere dari hoc judicium certum et infallibile in fide discernenda: *restat videre in quo resideat ista auctoritas.* — Nam vel fieri debet nova revelatio, et hanc neque videmus, neque experimur; imo etiam si daretur, cum etiam multi sint prophetæ falsi, semper restat eadem difficultas: quomodo discernenda sit vera revelatio a falsa? et cum inter haereticos et nos sit ista controversia de determinatione circa rem fidei: cuinam debet fieri ista revelatio? Si utrique parti, certe nos illam non sentimus, multo minus haeretici; si alteri parti tantum, certo altera illi non credet, nec facile cedet; nec est major ratio cur isti detur revelatio illa specialis, quam alii.

333 Multo minus ex privato cujusque judicio res ista fidei discernenda est, cum sit tam incertum et varium privatum judicium, ut aperte videmus: neque est major ratio, cur iste debebat credere spiritui alterius, quam e converso. Si autem unusquisque judicium proprium sequitur, tot erunt fides, et tam contrariae, quot sunt sententiæ et capita; et sic oportet multa ex illis esse mendacia, cum duae contradictoriae nunquam possint esse simul verae. In mendacio autem nullus potest salvari, sed est de numero eorum qui dixerunt *(Is.* 28, 15): *Quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Solum autem in vera fide salus esse potest. Quod si est vera, etiam una.

334 XI. Si autem dicatur ipsam Scripturam esse judicem sui, et illos solum fidem rectam habere qui puro Dei verbo inhaerent, neque Ecclesiam audiunt; tunc manifeste petitur principium. — Nam cum Scriptura possit bene et male intelligi, et a multis depravari juxta illud (II *Pet.* 3, 16): *Quæ instabiles et indocti depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem:* inquiro, an purum Dei verbum et Scriptura debeat esse judex istarum controversiarum, ut

depravata, aut ut legitime intellecta. — *Primum* est manifesta perditio. *Secundum* est id de quo dubitatur: unde enim constat ex tam multis intelligentiis et translationibus, sententiis circa Scripturam, quænam sit vera et legitima? Cum omnes dicant se Scripturam sequi, et hanc translationem esse legitimam non illam, hunc librum esse canonicum non illum: omnes enim hæretici, quotquot fuerunt, ex Scriptura conantur probare suos errores, sicut et modo hæretici intendunt.

335 Ergo ipsa Scriptura per se sola non potest judicare de controversiis et dubitationibus circa ipsam (cum de se tot depravationibus et intelligentiis pateat), nisi aliquis sit qui juxta illam judicet, et explicet legitimam intelligentiam Scripturæ. Igitur purum Dei verbum et Scriptura ipsa, cum de se indifferenter pateat multorum depravationibus et calumniis, impossibile est quod constet et manifestetur nobis quodnam sit purum Dei verbum, nisi prius istæ depravationes et calumniæ tollantur: quod certe Scriptura sola non facit, sed qui illam explicat.

Θ

336 XII. Concludamus ergo hunc perniciosissimum errorem quod solo puro Dei verbo est credendum, ad hoc maxime tendere ut omnes sint summe perplexi et obscuri, neque unquam assecurari possint de sua fide. Siquidem licet verbis dicant se sequi purum Dei verbum, tamen in re dantur multæ contentiones, depravationes, intelligentiæ, translationes circa hoc purum Dei verbum; multi admittunt hos libros canonicos, alii rejiciunt; verba Scripturæ quidam sic intelligunt, alii aliter. Quis ergo judicabit quodnam sit purum Dei verbum? Aut quis ex catholicis erit, qui non

velit etiam adhærere puro Dei verbo ? Sed tamen assecurari volunt prius quodnam sit hoc purum Dei verbum inter tot contentiones et controversias de illo: et pro hac securitate recurrimus ad Ecclesiam.

337 Unde optime dicit Augustinus *{Contra Faust.* Lib. XXXII, cap. 19) s similes alloquens hæreticos: "Videtis id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas: ut suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet: id est, ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat; non ut ideo illi placeat aliquid quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo recte scriptum videtur quia illi placuit".

338 Quare hæretici non possunt certificare et assecurare homines de sua fide, quia non agnoscunt judicem a quo certificentur; soli vero catholici de hoc securitatem et certitudinem habent, quia cognoscunt judicium infallibile Ecclesiæ in Petro, ejusque successoribus, legitimis, cui dictum est [2]: *"Non deficiet fides tua; confirma fratres tuos.* Imo si volumus credere puro Dei verbo, et in ipsa Scriptura Ecclesia dicitur *columna et fundamentum veritatis* (I *Tim.* 3, 15) et quod ab ipsa fide Petri indefectibili *confirmandi* sumus; quare hoc etiam non sequuntur, qui puram Scripturam et verbum Dei dicunt se sequi, cum Scriptura ipsa testimonium perhibeat de Ecclesia? Qui ergo nolunt ab Ecclesia et a Petro confirmari in fide, oves Petri non sunt: et consequenter neque Christi, qui Petro oves suas commisit[3]; sunt ergo hirci diaboli.

1 PL 42, 508.
2 *Luc.* 22, 32.
3 *Joan.* 21,16-18.

339 Denique, *vel* ipsi proponunt purum Dei verbum et judicant quid tenendum sit ex illo fallibiliter; *vel* infallibiliter.—Si fallibiliter: nec ipsi, nec qui eos sequuntur, securi sunt de sua fide; et sic salvari non possunt, quia *sine fide* vera *impossibile est placere Deo* [1] sed *qui non credit jam judicatus est* [2] i.—Si infallibiliter: ergo jam fatentur in proponendo Dei verbo, et judicando hoc quod proponunt esse purum Dei verbum, posse dari infallibilitatem in hominibus. Cur ergo id denegant Ecclesiæ, cui promissiones istæ factæ sunt?

* * *

SOLVUNTUR ARGUMENTA

340 XIII. **Primum argumentum** sumitur ex ratione dubitandi supra posita, quæ reducitur ad illam difficultatem de circulo a Scriptura ad Ecclesiam, et e contra. ¶ 292

Θ

341 Ad quod jam respondimus (articulo primo) in præsenti non esse locum circulo, quia proceditur in diverso genere causæ. Semper enim ratio formalis credendi est unica, scilicet *quia Deus dixit:* nec ista reducitur ad alteram. Propositio autem Ecclesiæ non est ratio formalis credendi; sed credimus illi tamquam proponenti infallibiliter, et instrumento applicanti nobis revelationem Dei quæ est ratio formalis credendi. Requiritur tamen infallibilitas etiam in ipso proponente et applicante, tamquam in conditione requisita; quia si conditio applicativa deficeret, non maneremus certi de re proposita per illam. *η·91 sqq·

[1] *Heb.* 11, 6.
[2] *Joan.* 3,18.

342 Sicut in lege promulganda requiritur tamquam ratio formalis auctoritas legislatoris; deinde, in ministro promulgante vel denuntiante talem legem, requiritur fidelitas omnimoda: non quidem factiva legis, sed tamquam scribæ signantis et discernentis quænam lex sit vera et legitima, ne decipiatur populus proponendo ei unam legem pro alia. Unde notariis datur auctoritas a rege et a lege, ut credatur ei quod ipsi signaverint. Sic Ecclesia non habet auctoritatem faciendi fidem: sed se habet tamquam Dei notarius, et instrumentum applicans.

343 Unde sicut nullus est circulus in lege humana, et in obtemperando legi, quia lex jubet, quæ a ministris proponitur, et quia a ministro publico promulgatur, quem lex auctorizat; ita neque in credendo fidei, quia Ecclesia proponit, et quia Deus dicit, non committitur circulus vitiosus.

344 Sicut ergo legi a principe scriptæ creditur et obtemperatur, dummodo tamen sit a legitima auctoritate signata per ministrum publicum: sic etiam nos puro Dei verbo credimus, sed signato a legitimo ministro publico, id est, ab Ecclesia: quæ non potest sic depravari, sicut Scriptura et libri materiales et inanimati, qui patent injuriis hominum et temporum, nec possunt fideliter custodiri nisi per homines. Isti autem ut fideliter id faciant et cum infallibilitate determinent, cum sint instrumenta viva, possunt habere infallibilem assitentiam Spiritus Sancti, qui fecit Ecclesiam *columnam et firmamentum veritatis* (I *Tim.* 3, 15) et fundavit supra petram, *contra quam portæ inferi non prævalerent (Mat.* 16, 18). *n. D2

345 XIV. *Quod si instes:* in hoc ipso nos committere circulum, quia probamus Ecclesiam auctoritatem habere ex Scriptura, cui non credimus nisi quia signata est ab ipsa

Ecclesia; ergo in tradenda infallibiliter fide, reducimur de Ecclesia ad Ecclesiam.

346 *Quod si recurratur,* non ad solam Scripturam, sed ad Traditionem apostolicam et continuatam semper in Ecclesia, et ad acceptationem communem qua videmus hanc Ecclesiam tamquam veram Ecclesiam haberi, et hunc Pontificem ut legitimum acceptari. — *Contra est:* quia non constat nobis hanc traditionem esse legitimam, nisi quia Ecclesia illam pro legitima habet; sicut Scriptura quam acceptat Ecclesia, habetur pro legitima. Et similiter acceptatio Ecclesiæ nihil aliud est, quam ipsamet auctoritas Ecclesiæ, de qua est tota difficultas.

347 *Quod si recurratur ad ministros,* scilicet prophetas et Apostolos, quibus primum locutus est Deus et per quos ministravit sermonem: *adhuc* non evacuatur difficultas, quia restat videre unde constat nobis illos fuisse veros ministros, et istos, qui modo sunt, illis legitime succedere.

Θ

348 XV. **Respondetur:** hoc argumentum inquirere certitudinem in re credenda et in fide, reducendo id ad aliquam evidentiam: quod est rationem fidei tollere.

349 Nam mirabile est, quod in fide humana nullus dubitet in credendo id quod auctoritate publica alicujus ministri designatur: et tamen in rebus divinis credendis non acquiescimus auctoritati publicæ quam Deus constituit, scilicet Ecclesiæ: Unde dicit Augustinus *(Confess.,* Lib. VI cap. 5) [1]: "Consideravi, quam innumerabilia crederem quæ non videram, neque cum gererentur affuissem; sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus,

1 PL 32, 722-723.

quæ non videram; tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Postremo, quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem: quod scire non possem, nisi audiendo credidissem. Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos; nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent: Unde scis illos libros unius viri et veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? Id ipsum maxime credendum erat."

350 Sic Augustinus; ubi illa ratio: "Id ipsum credendum fuerat", valde formalis est; quia illud non potest sciri, sed necessario debet credi: cum sit totum principium credendi hoc ipsum quod Deus dixit: neque hoc sit sciendum, sed maxime credendum, et primo. Itaque sicut in aliqua republica, tamquam stultus haberetur et derideretur, qui publicis tabulis et scripturis manu publici ministri signatis recusaret fidem adhibere, dubitando de auctoritate ministrorum, et dicendo quod committitur circulus: quod credimus et oboedimus his quæ a rege ordinantur, quia ejus ministri sic proponunt: et credimus istos esse ministros, quia rex illos instituit; et rursum, unde constat illos instituisse? et similia; totum hoc in politicis habetur tamquam ridiculum, et in divinis admittitur dubitatio de publico ministro qui est Ecclesia, et ejus auctoritate, etc.

351 XVI. Itaque dicimus, quod quando auctoritatem Ecclesiæ probamus per Scripturam ab ipsa Ecclesia propositam et acceptatam, non committimus circulum: quia tam Scriptura quam Ecclesia in diverso genere causæ se habent, ut dictum est, et quælibet illarum propter suam supremam auctoritatem est ratio sui et aliorum: Ecclesia in genere minis- «n» 341

teriali, et in proponendo; Scriptura in genere formali, et in testificando.

352 Ulterius autem nititur traditioni, non Scripturae, quæ per successionem et acceptationem Ecclesiæ decurrit; de qua, *quod* traditio ita antiqua sit, per ipsam continuatam sue- *n'353
cessionem constat; *quod vero* sit traditio supernaturalis et *"l 354'
vera, non constat nobis per intrinsecam evidentiam, sed per extrinseca inductiva, quæ ejus credibilitatem evidenter ostendunt.

353 Sic semper reputata est ab initio Ecclesiæ, eo quod primi qui illam tradiderunt, fuerunt Apostoli et prophetæ, quibus Deus locutus est per se ipsum: et illis constitit de ipsa locutione divina per altius lumen, scilicet per propheticum; atque ita sicut Ecclesia est modo instrumentum publicum proponens nobis Dei verbum, ita ipsi fuerunt publici ministri Dei proponentes Ecclesiæ veram fidem per lumen immediate a Deo acceptum, quod pertinuit ad prophetiam. Exinde vero tamquam res supernaturales et a Deo dictæ, per continuam successionem ab Apostolis et prophetis per successores eorum in Ecclesia usque ad nos, sine intermissione decurrit. Unde optime dixit Augustinus *(Contra Faust.* Lib. XXXIII, cap. 6) », similes hæreticos perstringens: "Unde constat, eos qui nunc habentur Hippocratis nobilissimi medici esse libros, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus successionis series ita commendavit, ut de his dubitare dementis sit? Platonis item, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint: nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?" — Quare si quæratur a nobis unde scia-

» PL 42, 514.

mus Apostolorum esse istas litteras, breviter respondemus: ex fundatissima Ecclesiæ attestatione a temporibus Apostolorum usque ad hæc tempora, certis successionibus producta.

354 XVII. Deinde secundo Ecclesia et fides habent confirmationem extrinsecam suæ infallibilitatis ab effectibus: scilicet a miraculis, eo modo factis et cum illis circumstantiis quas diximus articulo primo

cf. 352

cf. 52 s

355 Et haec se habent tamquam rationes inductivæ ostendentes evidenter credibilitatem fidei, non veritatem in se. Sic enim Apostolus *(Heb.* 2, 3-4) docet derivari fidem et continuari in Ecclesia, dum inquit: *Cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab iis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus.* Ubi tangitur et ratio formalis credendi, scilicet enarratio Domini; et instrumentum publicum proponens, scilicet illi qui a Domino audierunt, et derivaverunt ad nos; et confirmatio extrinseca per miracula et portenta, non quæcumque, sed cum virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus facta. Haec tria solum videmus reperiri in Ecclesia catholica, quia sola ipsa credit ministris Dei et Ecclesiæ, et confirmationem habet per vera miracula. Utroque vero carent hæretici.

* ¥

356 XVIII. **Secundo arguitur** ex aliquibus locis Scripturæ, quæ totum judicium de veritate fidei ad Scripturam et ad Legem reducit, non ad Ecclesiam.

357 Nam *(Is.* 8,11-20) dicitur: *Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis? Ad legem magis, et ad testi-*

monium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux; ergo quando populus requirit aliquid circa fidem, non est remittendus ad Ecclesiam vel Papam, sed ad Legem, vel testimonium.

358 Item Christus Dominus ad probandum se esse Messiam remittit Judæos ad Scripturam *(Joan.* 5, 39): *Scrutamini Scripturas, et illae sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et ipsi Judaei ad cognoscendum de Christo, non ad summum sacerdotem vel ad Synagogam remittebant, sed ad Scripturas, ut *(Joan.* 7, 52) : *Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilæa propheta non surgit;* et *(Act.* 17, 11), laudantur Beroeenses *quia quotidie scrutabantur Scripturas, si haec ita se haberent,* et non recurrebant ad Ecclesiam vel Papam. Denique *(Gal.* 1, 8) dicitur: *Si nos aut Angelus de coelo evangelizaverit vobis praeter id quod evangelizavimus, anathema sit; ergo* si non potest Ecclesia aliquid amplius addere vel ponere, quam quod jam est evangelizatum, frustra recurrimus ad ipsam in dubiis fidei. *n. 364 *n. 365

359 Et eodem spectat quod dicitur *(Deut.* 4, 2): *Non addetis ad verbum quod ego vobis loquor, nec auferetis ex eo,* etc.; et idem habetur *(Deut.* 12, 32). Ergo quæcumque judicia Ecclesiæ circa controversias fidei, vel aliquid addunt, vel non. Si non, ergo sufficit ipsa Scriptura, et superfluit Ecclesiæ judicium; si autem aliquid addit, facit contra hoc praeceptum Scripturæ allatum. *n. 366

Θ

360 XIX. **Respondetur:** haec omnia solum probare quod Scriptura est regula et norma, secundum quam debet fieri judicium; non tamen quod sit judex ipse qui in dubiis pronuntiaturus est, et confirmaturus fideles.

361 Ad primum ergo testimonium, dicitur ibi moneri fideles ne quærant aliquid a pythonibus et divinis, sed magis convertantur ad legem; non tamen per hoc excluditur Ecclesia et sacerdotes, per quos Lex tradebatur et explicabatur, juxta illud *{Mat.* 23, 2-3). *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisæi; quæcumque ergo dixerint vobis servate et facite;* et *{Mal.* 2, 7): *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et Legem requirent ex ore ejus.*— Sicut non valet hoc argumentum: in Scriptura dicitur quod debemus Deum amare, virtutes colere, vitia, usuras, adulteria fugere; ergo non debet esse aliquis gubernator, vel princeps, qui ista admoneat, praecipiat vel castiget; consequentia omnino est nulla.— Adde, quod in eodem capite paulo ante dicitur[1]: *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis·,* ergo testimonium Scripturae signatur et ligatur in discipulis: et sic per ipsos nobis proponitur, et non aliter. *η 357

362 XX. Ad secundum locum dicitur: eodem modo Christum remisisse ad Scripturas, tamquam ad canonem et regulam per quam probaretur fides de ipso, sicut modo etiam ex Scripturis agimus contra Judaeos et haereticos: sicut qui in litibus recurrit ad legem, non negat judicem; neque e contra, qui ad judicem provocat, legem negat. *η· 358

363 Et similiter Judaei remittebant ad Scripturam ut ad regulam et Legem, secundum quam debebat judicari illa controversia de Messia, non ut ad judicem: hoc enim pertinebat ad sacerdotes, qui et ipsi *miserunt ad Joannem, ut interrogarent eum: Tu quis es {Joan.* 1, 19).

364 Berœnses etiam laudantur, quia Scripturas scrutabantur tamquam regulam et canonem veritatis; nec tamen *ñ· 358

[1] *Is.* 8,16.

vituperantur, sed etiam laudantur alii, qui in controversiis et quæstionibus de fide recurrerunt ad Ecclesiam et ad Apostolos *{Act.* 15, 2-3).

365 XXI. Ad ultimum locum ex epistola ad Galatas, *respondetur* quod Ecclesia non evangelizat aliud Evangelium quam quod evangelizatum est, sed idem explicat; aliud est ergo evangelizare, aliud Evangelium explicare. Evangelizare enim præter id quod evangelizatum est, est aliud Evangelium condere: quod omnino prohibet Apostolus: explicare autem Evangelium, est circa illius intelligentiam melius se habere. Apostolus autem non dixit: *Si quis vobis explicaverit Evangelium;* sed: *si quis evangelizaverit;* alias enim qui Ecclesiam non audierit, jubetur haberi tamquam ethnicus et publicanus *{Mat.* 18, 17); et ipsi Apostoli in Concilium convenerunt ad determinandas controversias de fide *{Act.* 15). *n-358

366 Eodem modo *respondetur* ad illa loca Deuteronomii[1]: quod prohibet aliquid addere vel auferre ad verba Legis per modum legis et Scripturæ, non per modum declarationis: quæ non est additio, sed explicatio. — Prohibetur etiam addere aliquid vel auferre (etiam per modum explicationis) personis particularibus: non sacerdotibus et ministris, quos posuit Deus ad judicandum ubi fuerit judicium ambiguum *{Deut.* 17, 8-13). — Denique, non addere seu auferre ad verba Legis, idem est quod integre servare Legem, nec per excessum peccando, nec per defectum; non autem excluditur ibi explicatio in ambiguis et difficilibus quæstionibus. n. 359

* *

[1] *Deut.* 4, 2.

367 XII. **Ultimo arguitur** argumento quo familariter hæretici utuntur: Nam auctoritas Ecclesiæ est creata et humana, cum non nisi ex hominibus constet; ergo deficere potest: ergo quidquid ipsa declarat, ita manet in dubio sicut ante, quia falli potest; vel si creditur, non fide divina, sed humana creditur. Ex alia autem parte, Scriptura est infallibilis; ergo magis ipsi credendum est, imo ipsi soli, et non Papæ. — Prima consequentia constat ex illo *(Rom.* 3, 4): *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax,* id est, mendacio et deceptioni subjectus; ergo cum Papa sit homo, et Ecclesia multitudo hominum, omnes sunt deceptioni subjecti et errare possunt.

368 *Confirmatur:* quia fides est de invisibilibus; id autem quod Ecclesia nobis repræsentat et ipsa etiam Ecclesia, visibilis est; ergo neque de ipsa, neque de propositis ab ea, est fides.

o

369 **XXIII. Respondetur:** in primis hoc argumentum retorqueri in hæreticos. Nam si Ecclesiæ credendum non est, quia ex hominibus est, et ejus auctoritas est humana; ergo similiter, neque ipsis reformatis, aut eorum auctoribus Calvino et Luthero et similibus credendum est, dicentibus se reformatum Evangelium prædicare: quia homines sunt, et eorum auctoritas est humana; cur ergo ipsis credunt et non nobis?

370 *Dicunt:* quia ipsi tradunt purum Dei verbum, et non mandata hominum. — *Replico:* et unde constat quod purum Dei verbum afferunt? nonne ex ipsorum dicto, quia sic ipsi affirmant? Ergo possunt in hoc mentiri et falli, cum homines sint: præsertim cum ex puro Dei verbo libros quos

volunt admittunt, quos volunt rejiciunt. *Deinde,* cum tam multa in suis libris commentantur circa intelligentiam Scripturæ et circa impugnationem catholicorum, et cum Ecclesiam non audiunt nec subjici volunt Petro: unde innotescit quod præcipit purum Dei verbum? Vel ea dicunt ut homines, vel ut Deus. Non ut Deus, ut de se patet. Si ut homines: ergo in his quæ contra catholicos dicunt, credendi non sunt. — Nos ergo respondemus Ecclesiam Dei, ejusque caput Romanum Pontificem posse considerari, *vel* ex propriis, *vel* ex his quæ habent ex assistentia Spiritus Sancti et promissione Christi infallibili.

371 *Primo modo* auctoritas ejus humana est et fallibilis et comprehensa sub illa universali[1]: *Omnis homo mendax;* sicut etiam prophetæ et canonici scriptores deficere poterant ut homines, non prout regebantur a Spiritu Sancto.

372 *Secundo autem modo* non potest Ecclesia deficere, nec modo humano operatur, sed Spiritu divino juxta promissionem factam Petro[2]: *Non deficiet fides tua;* et Ecclesiæ fundatæ supra Petrum[3] quod *portæ infieri non praevalebunt adversus eam;* et quod Ecclesia est *columna et firmamentum veritatis f;* et quia *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem {Joan.* 16, 13): ergo excludet omnem falsitatem, scilicet in pertinentibus ad fidem et salutem. Quam assistendam Spiritus Sancti cognoverunt Apostoli in Concilio congregati *(Act.* 15, 28), cum dixerunt: *Visum est Spiritui*
t *Sancto et nobis,* etc., ergo quod videtur Ecclesiæ, non videtur solum hominibus, sed etiam Spiritui Sancto.

[1] *Rom.* 3, 4.
[2] *Luc.* 22, 32.
[3] *Mat.* 16,18.
[4] I *Tim.* 3,15

373 *Ad confirmationem respondetur:* nos credere Ecclesiam ✱. 368
esse visibilem, non quia credamus aliquid ut visibile, cum fides sit de non visis; sed quia in re visibili (qualis est collectio hominum ex quibus Ecclesia constat, et ejus caput qui est homo visibilis) [credimus] non solum haberi naturalem et politicam auctoritatem, sed supernaturalem gubernationem et assistentiam Spiritus Sancti et gratias Sacramentorum et similia multa invisibilia, sine quibus Ecclesia non constat (licet homines qui Ecclesiam componunt, aliquid visibile sint). — Sicut credimus de Christo, quod sit homo visibilis, licet non visibilitatem credamus: sed quod illud visibile unitum sit divinitati invisibili. Et Sacramenta sunt signa sensibilia: et tamen credimus esse Sacramenta, et invisibilem habere virtutem.

TRACTATUS
DE AUCTORITATE
SUMMI PONTIFICIS

SUPER ARTICULUM
DECIMUM QUAESTIONIS PRIMAE
HUJUS SECUNDAE SECUNDAE

PROOEMIUM

374 Tractaturus D. Thomas, in prima quæstione suæ secundæ secundæ, de natura et quidditate fidei, scientifico ordine procedens ex duobus totam ejus specificam rationem adæquate explicat, ostendens quæ sit ejus ratio formalis et quod sit objectum materiale quod credendum proponitur per fidem, ejusque conditiones.

375 Et quidem ratio formalis sub qua fides objectum suum attingit, et per quam formalissime specificatur, est veritas divina revelans per modum testimonii, seu auctoritatis testificantis, ex quo sequitur summa et infallibilis ejus certitudo in tali testificatione tam active quam passive. Active quidem, quatenus ipse testificans est summa veritas; passive autem, ex parte intellectus credentis, quatenus ipsa divina auctoritas nobis proposita facit in nobis electionem voluntariam per quam intellectus determinatur, ut firmiter inhaereat his quæ sunt fidei, et eis certissime assentiat, ut dixit S. Thomas (In *Heb.,* Lib. XI, lect. 1).

376 Ex quo obiter colliges auctoritatem divinam ut generet assensum, et infundat habitum inclinativum ad credendum, prius tangere voluntatem et mediante illa intellectum, juxta quod dicitur *{Act.* 16, 14) : *Cujus Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur a Paulo,* qui utique annuntiabat illis fidem, ita quod prius tangit cor quam intellectum; et ideo dixit bene Cajetanus (IIa-IIæ, q. 171, a. 2), quod fides

non est lumen intellectuale simpliciter, sed lumen intellectus ut moti a voluntate; et hac ratione intrat pia affectio et requiritur ad specificam rationem fidei.

377 At vero objectum materiale fidei, seu res credendæ et attingendæ per talem revelationem, ut sint materia fidei, duas conditiones requirunt quas D. Thomas hic [1] explicat.

378 *Prima,* quod talis res sit non apparens, sicut expressit Apostolus definiens fidem *(Heb.* 11, 1): *Argumentum non apparentium.*

379 Cum autem rem esse non visam seu obscuram sit denominatio extrinseca, sicut e contra esse visam seu claram est denominatio quædam proveniens a vidente, vel a luce illustrante, hinc est quod rem esse non visam seu obscuram a duplici principio potest provenire: vel ab ipso medio seu ratione cognoscendi: medium enim obscurum relinquit objectum obscurum; secundo, ab ipso subjecto non vidente, a quo denominatur extrinsece res non visa, sicut e contra a subjecto vidente denominatur extrinsece res visa.

380 Quando ergo dicitur quod ut aliquod sit objectum fidei debet esse non visum, utroque modo intelligitur: scilicet, obscurum ratione medii obscuri, quia cum ratio formalis fidei sit revelatio per modum auctoritatis et testimonii, non facit rem apparere, sed obscuram relinquit. Similiter etiam intelligitur, quod ut aliquid sit objectum fidei debet esse non visum denominatione extrinseca proveniente a subjecto credente, quatenus ad hoc quod aliquid sit materia fidei supponatur tamquam conditio quod non sit visum a credente.

[1] Scii. IIa-IIae, q. 1.

381 Unde docet D. Thomas, loco citato ad Hebræos, quod propria materia habitus fidei sunt non apparentia; et expressius Cajetanus (la-IIæ, q. 67, a. 5), inquit quod ly *non visum* in objecto fidei est denominatio quædam extrinseca proveniens a non vidente. Itaque, sicut parietem esse visum est denominatio extrinseca proveniens a vidente, sic objectum non esse visum est denominatio proveniens a non vidente; et ideo, ut aliquid sit objectum fidei debet supponere quod intellectus credentis non videat tale objectum.

382 Et hinc est quod fides non solum repugnat scientiae, aut evidentiae ratione medii, quia scilicet medium, seu ratio formalis ejus est obscura, sicut repugnat opinio cum scientia, sed etiam ex parte subjecti quatenus ut aliquid sit materia fidei supponitur quod non sit apparens, seu non visa ab ipso subjecto credente; nam si videt semel quantumcumque sibi narretur, non credet.

383 *Altera* conditio requisita ad materiam fidei, quæ ad nostrum pertinet institutum, est quod sit proposita ab Ecclesia catholica, et ab ejus capite in quo est infallibilis regula fidei, vel eorum quæ ad fidem spectant; et de hac agimus hic. * n. 377

384 Quod ut intelligas, adverte quod ista conditio et hæc regula visibilis non requiritur quomodocumque in fide, sed in ordine ad nos, quia Deus non loquitur nobis immediate, nec per seipsum immediate proponit res revelatas, sed mediantibus aliis hominibus quibus ipse locutus est: partim per Angelos in sermone prophetico; partim per semetipsum in carne apparens, juxta quod ait Paulus *(Heb.* 1, 1-2): *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio,* etc...

ubi ly *in prophetis* et ly *in Filio* ponuntur tamquam media quibus Deus proposuit res fidei.

385 Si autem Deus etiam nobis immediate proponeret ea quæ credenda sunt, non est dubium quod nulla indigeremus regula visibili proponente, sed certificaremur immediate ab ipso spiritu Dei de materia proposita ad credendum, sicut Apostoli et prophetæ edocti sunt, qui non ab Ecclesia acceperunt, sed ipsi potius tradiderunt Ecclesiæ res fidei juxta illud (Luc. 1, 2): *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis,* et (I *Joan.* 1, 1-2): *Quod fuit ab initio, quod auvidimus, quod vidimus oculis nostris, . . . testamur, annuntiamus vobis.*

386 Quia ergo Deus non immediate proponit nobis veritates fidei, sed per alios homines tradit, necesse est quod inter illos qui tradunt, seu proponunt, sit aliqua firma et infallibilis auctoritas per quam discernantur ea quæ vere de fide sunt, ab his quæ non sunt de fide: alias fluctuaremus omni vento doctrinæ [»].

387 Neque ad hoc sufficiunt solæ Scripturæ sacræ et Traditiones, cum istæ depravari possint ab hominibus, juxta quod dicitur (II *Pet.* 3, 16) de epistolis Pauli: *In quibus sunt aliqua difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant.*

388 Ubi insinuatur *duplex ratio* quare non sufficiunt solæ Scripturæ sine auctoritate alicujus proponentis. Et propter difficultates intelligendi Scripturas, quarum sensus cum sæpe sit obscurus et occultus, oportet quod per aliquam regulam certam accipiatur certus sensus, et non ad libitum cujuscumque, et ideo Dominus inter præcipua dona quæ

» Cf. *Eph.* 4, 14.

dedit Apostolis, ut dicitur *(Luc.* 24, 45) : *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Secundo, propter depravationem quæ fieret a multis in Scripturis, nisi ab aliqua auctoritate superiori judicaretur de sinceritate et veritate Scripturarum, sicut sæpe ab hæreticis depravatæ sunt, vel aliqua apocrypha inculcata pro veris Scripturis, quæ annumerat Gelasius Papa in capite *Sancta Romana* ».

389 Et idcirco Dominus, hanc regulam et fundamentum in Petro constituens, ejusque successoribus, inquit *(Luc.* 22, 32) : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres suos.* Quæ juxta ea quæ dicta sunt explicat optime S. Leo Papa, *(Serm.* IV, cap. 3)[2]: "In Petro, inquit, omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur"; et *(Serm.* IV, cap. 4)[3]: "Tantam, inquit, potentiam dedit ei Dominus, quem totius Ecclesiæ principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."* Constat ergo Christum ideo firmasse auctoritatem Petri, quia ea quæ sunt fidei, mediante Petro, debent aliis infallibili regula proponi, et per ipsum ac successores suos in Ecclesia in perpetuum conservari.

390 Opportune ergo D. Thomas tractans hic de objecto materiali fidei, et de his quæ in Symbolo continentur credenda, articulum hunc interposuit ad ostendendum quod pertinet ad Summum Pontificem, ad quem pertinet veritates fidei tradere, ut per ejus auctoritatem discernamus ea quæ sunt

[1] c. 3, D.XV, RF I, 38-39.
[2] PL 54, 151-152.
[3] PL 54, 152.

fidei ab illis quæ non sunt, et illum probetur esse hæreticum et contra veram fidem, qui ab ipsa Summi Pontificis auctoritate tamquam a visibili regula fidei discedit.

391 "Neque enim, ut dixit Cyprianus *{Epist.* XII, *ad Corn.')*[1] aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur". Et ideo optime Irenæus *{Adv. Hær.,* Lib. 3, cap. 3)*[2] per fidem Romanæ Ecclesiæ omnium confundi errores confitetur, tamquam per regulam certam credendorum, dum inquit: "Romæ, fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam ab Apostolis habet traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquomodo, vel per sibi placentia vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem Ecclesiam convenire". Constat ergo quod sicut ex auctoritate Sedis Apostolicæ omnium errorum dependet confutatio, ita in hoc tractatu totius catholicæ rei summa disputatur: stabilita *n·633
enim firma regula fidei in his quæ credenda sunt et tenenda, facile dissolvuntur errores omnes, et a fide discernuntur sincera.

392 Ut autem tractatum istum convenienter prosequamur, *primo* agemus de ipsa auctoritate et primatu supremi capitis quantum ad ejus institutionem; *secundo,* quantum ad potestatem et objecta ad quæ se extendit, quæ sunt in duplici genere, nam extenditur ad spiritualia et ad tempora-

[1] PL 3, 802-803.
[2] PG 7, 848-849.

lia, secundum quod hæc ordinabilia sunt ad vitam æternam, cum et ipse Dominus Petro potestatem dederit in duplici gladio, juxta illud (*Luc.* 22, 38): *Ecce duo gladii hic,* quod Bonifacius VIII, in extravaganti *Unam sanctam* [1], intelligit de duplici potestate Papæ spirituali et temporali afferens verba Bernardi (*De Consideratione,* Lib. 4, cap. 3) [2], quibus id probat, et ideo de utroque agendum erit.

SEQUITUR EXPOSITIO LITTERÆ D. THOMÆ

393 In articulo decimo inquirit S. Thomas utrum ad Summum Pontificem pertineat symbolum fidei ordinare.

394 Respondet triplici conclusione.

395 *Prima conclusio:* Ad Summum Pontificem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei.

396 *Secunda conclusio:* Ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, etc.

397 *Tertia conclusio* (ad secundum): Ad Summum Pontificem pertinet per sententiam confirmare Synodum.

1 c. 1, *de majoritate et obedientia,* I, 8, in Extravag. com., RF II, 1245.
2 PL 182, 776.

DISPUTATIO PRIMA

398 DE PRIMATU ET INSTITUTIONE SUPREMI CAPITIS IN ECCLESIA, QUI EST ROMANUS PONTIFEX.

ARTICULUS PRIMUS

399 *UTRUM NECESSE SIT IN ECCLESIA PONERE ALIQUAM SUPREMAM POTESTATEM VISIBILEM AD PROPONENDUM ET DETERMINANDUM RES FIDEI?*

* * *

400 I. Totum haereticorum pondus in hac parte eo veritatem intendit praecipitare, ut probent nullatenus visibile et supremum caput in Ecclesia constituendum esse, ut de rebus fidei et de doctrina judicet, sed judicium de doctrina et credibilibus ad uniuscujusque hominis spiritum pertinere, quod tum rationibus tum Scripturae auctoritatibus infra adducendis comprobare conantur. 447 sqq.

401 In contrarium tamen obstat, quod si esset credendum in dubiis fidei, et determinandum id quod tenendum est de fide per uniuscujusque spiritum, frustra Apostoli congregassent Concilium ad determinandum quaestionem de observatione Legalium *{Act.* 15, 28). In qua determinatione non solum Spiritum, sed etiam se ipsos pro regula proponunt dicentes *{Act.* 15, 28): *Visum est Spiritui sancto, et nobis.*

Item Apostolus propterea rejiciendum monet hæreticum homines, quia proprio judicio condemnatur *(Tit.* 3, 10-11): *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita: sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Ergo subversio et delictum hæretici est in sequendo proprium judicium; per hoc enim condemnatur. *Item* (II *Pet.* 1, 20(21-: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, etc.* Ergo non licet nobis propria interpretation Scripturam proponere, aut credneda determinare. *Item* Paulus *(Gal.* 2, 2) contulit evengelium quod prædicabat in bentibus cum his qui videbantur esse aliquid: *Ne forte, inquit, in vacuum currerem aut cucurrissem.* Ergo necessarium est in his quæ sunt fidei recurere ad aliquam regulam et auctoritatem visibilem, cum qua conferatur.

402 II. Pro hujus quæstionis dilucidatione, antequam hæreticorum errores et catholicam sententiam proponamus, supponendum est quod *dupliciter* possumus intelligere quod in determinatione rerum fidei et earum propositione, et interpretatione Scripturæ standum est proprio judicio: uno modo, sine aliqua omnino relatione ad aliquid exterius per quod confirmetur; vel cum aliquo ordine ad aliquid exterius et visibile, per quod constare possit de veritate et determinatione ejus quod proponitur.

403 Et quidem proprium est omnium hæreticorum proprio judicio et electioni niti; non tamen omnium hæreticorum est negare omnem regulam visibilem per quam judicetur res fidei. Haeresis enim ut docet D. Thomas (IIa-IIæ, q. 11, a. 1) ex D. Hieronymo *(In Gal.* Lib. III super 5, 19) [1], ut

1 PL 26, 445.

habetur capite *Hæresis*[1]: "Hæresis græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem". Quod et antea dixerat Tertullianus (*De Præscript.*, cap. 6)[2] contra haereticos explicans illud Apostoli (*Tit.* 3, 10-11) de homine haeretico, quia subversus est, delinquit proprio judicio condemnatus: "Ideo, inquit Tertullianus, sibi damnatum dixit haereticum, quia et in quo damnaretur sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit". Omnis ergo haereticus proprio sensu et judicio ducitur, secundum quod ly *proprius* excludit illum qui est catholicae Ecclesiæ, secundum quod proprium opponitur communi et universali.

404 III. Cæterum, multi hæretici regulam visibilem quærebant per quam suam probarent, aut confirmarent opinionem, etsi non veram regulam admittebant; et in hoc etiam ducebantur proprio judicio, quod non solum sententiam in rebus fidei ex proprio sensu, sed etiam regulam exteriorem juxta suum placitum constituebant. Unde et habebant concilia, seu potius conciliabula, ad sua dogmata tractanda et judicanda, ut secundum formam concilii ea proponerent et judicarent.

405 Et sic Donatistæ conciliabula Carthagine[3] congregarunt; Ariani[4] similiter et Semiariani[5] plura conciliabula fecerunt ad decipiendos catholicos, et sua dogmata confirmanda, sicut etiam conciliabulum Ephesinum[6] (A.D. 449) convocatum

1 c. 27, C.XXIV, q. 3, RF I, 997.
2 PL 2,18.
3 Cf. Msi II, 407, 409; III, 143; Hef.-L., I, 268, note 4.
4 Cf. Msi II, 1155; III, 123,163, 369.
5 Cf. Msi III, 123,265, 315, 374.
6 Cf. Msi VI, 503; Hef.-L. II, 555-621.

est, ubi fuit absolutus Eutyches, et plura alia in libris Conciliorum sparsim leguntur. Sic ergo hæretici isti, etsi ex proprio judicio et propria electione contra universalis Ecclesiæ sensum suas sententias edocebant, aliquam tamen exteriorem admovebant regulam, etsi suo etiam sensu introductam, ad proponendas determinationes suas falsas circa res fidei. Sicut etiam modo Anglicanum schisma fatetur debere dari supremum caput in spiritualibus, illud tamen esse *n. regem in unoquoque regno. Caeterum alii hæretici recentiores addentes prævaricationem, et implentes mensuram patrum suorum, in tantum prolapsi sunt, quod judicium de rebus fidei nolunt ad aliquam regulam exteriorem reducere, sed ad unumquemque hominem privatum, qui debeat judicare juxta verbum Dei et Scripturas, an ita sit quod sibi proponitur credendum. Ita docuit Lutherus, quem secuti sunt Brentius, Calvinus, Kemnitius, cæterique hujus temporis pestes.

* * *

406 IV. **NIHILOMINUS VERA ET CATHOLICA SENTENTIA EST: Judicium de rebus fidei, et earum propositionem ac determinationem pertinere ad aliquam visibilem regulam exterius proponentem, et non ad solum cujuscumque judicium.**

407 **Etsi autem pro catholicis** sufficeret declaratio Concilii Tridentini *(Sess.* IV.)[1] ubi "decernit, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei aut morum, ad ædificationem fidei. Haeresis. enim ut docet D. Thomas (IIa-IIæ, q. 11, christianæ doctrinæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sesnsum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu

[1] Msi XXXIII, 23.

et interpretatione sacrarum Scripturarum,audeat explicare''; et in Concilio Milevitano secundo (A.D. 416) s explicans quamdam Scripturæ auctoritatem, non aliter intelligenda dicitur, "nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit", quam ibi vocat regulam fidei. Ut omittam quod habetur in canone XIX Trullano 2, "ne Scripturam aliter interpretentur quam quomodo Ecclesiæ luminaria, et doctores suis scriptis exposuerunt" \ Omitto hunc canonem quia constat canones istos Trullanos non esse probatæ fidei, quamvis non levis probatio sit auctoritas ab inimicis extorta4:*

408 V. **Nihilominus** quia hæretici Concilia non suscipiunt, et de hoc ipso disputamus an illorum conciliorum et Ecclesiæ judicio standum sit in rebus fidei, ideo ad istos convincendos, alias probationes oportet afferre; nec tamen ad solam et nudam Scripturam recurrendum nobis est, si quidem de hoc ipso cum hæreticis est quæstio: quisnam debeat nobis indicare veram et legitimam Scripturam.

409 Ideoque recte his hæreticis quadrat id quod pulchre notavit Tertullianus *(De Præscript.,* cap. 19)6. — "Non ad Scripturas, inquit, provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo

4 cap. 2, Msi IV, 327.

* Centum et tres canones, qui sub nomine sextae Synodi œcumenicæ hactenus vulgati fuerunt, non a patribus concilii Constantinopolitani tertii, sexti œcumenici seu universalis, sanciti fuerunt, sed potius sunt alicujus conciliabuli quod post annos decem habitum est Constantinopoli, in Trullo (i.e. in secretario sacri palatii, quod cognominatum est Trullo), anno Domini 692. Cf. Msi XI, 1010-1013. Cf. Hef.-L., III, 560 sq.

« Msi X, 1951.

' Cf. IIa-IIæ, q. 172, a. 6 ad 1.

» PL 2,31.

rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ et fidei Christian®, illic erit et veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum Christianarum". — Ecce necessitas regulæ exterioris ac visibilis ad rem fidei: scilicet ubi apparuerit esse veritatem disciplinæ. Et infra[2]: "Quid praedicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret veritati esse deputandam".

410 VI. Et tandem postea[3], percurrens Ecclesias apostolicas, id est, ab Apostolis fundatas, inquit: "Habes Romanam Ecclesiam unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista felix Ecclesia est, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt". Ecce quas probationes affert Tertullianus contra hæreticos ad ostendendum apud quos sit recta fides, et cui regulæ in ejus determinationibus standum est.

411 Quod etiam ante Tertullianum fecit S. Irenæus (*Adv. Hær.* Lib. III, cap. 3)[4], ubi hæreticos provocat ad traditionem Apostolorum toto orbe manifestatam in omni Ecclesia, praesertim Romana, "Ad quam, inquit, propter potentiorem principalitatem oportet omnem convenire Ecclesiam"; et tandem concludit[1]: "Tantæ igitur ostensiones cum sint,

1 Ibid., cap. 21, PL 2, 33.
2 Ibid., cap. 36, PL 2, 49.
• PG 7, 849.
1 Ibid., cap. 4, PG 7, 855.

non oportet adhuc quærere apud alios veritatem quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis".

412 Pulchre denique S. Augustinus *(Contra Epist. Manich.')*, postquam numeravit[1] ea quæ ipsum tenerent in Ecclesia catholica, in qua vera sapientia invenitur, ne ab ea discederet, scilicet consensio populorum, auctoritas miraculis inchoata et vetustate firmata, successio episcoporum in Sede Petri, ipsum denique nomen catholicæ, subdit postea[2]: "Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas"; et infra[3]: "Si dixeris: Noli catholicis credere; non recte facies per Evangelium me cogere ad Manichaei fidem, quia ipsi Evangelio catholicis prædicantibus credidi". — Ecce quomodo per solum verbum Dei, seu Evangelium, sine auctoritate Ecclesiæ proponentis et judicantis, nemo potest cogere et convincere ad id quod tenendum est; siquidem, ut Evangelio credam, oportet quod ab aliquo mihi proponatur cujus auctoritati credam.

* * *

413 VII. Sic ergo ad *quatuor* principia reducimus probationes contra hæreticos de veritate catholica proposita.

414 *Primo,* ad ipsum verbum Dei, cui ipsi affirmant esse credendum juxta proprium judicium, ostendendo quod si verbum Dei admittunt, et Ecclesiam proponentem debent admittere quia id continetur in verbo Dei.

[1] Cap. 4, PL 42, 175.
[2] *Ibid.,* cap. 5, PL 42,176.
[3] *Ibid.*

415 *Secundo,* ad unitatem fidei, quæ conservari non potest si ad cujuscumque spiritum reducatur regula credendorum.

416 *Tertio,* ad impossibilitatem quam involvit hæc hæreticorum positio.

417 *Quarto* denique, ad communem consensum tot populorum et gentium, quæ ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio usque nunc suam fidem, et determinationem eorum quæ credenda sunt, ex aliqua visibilii et exteriori regula desumpserunt.

¥ ¥

418 VIII. **Prima ergo probatio** sic deducitur: Si regula fidei est ipsum verbum Dei juxta quod judicare debemus de ejus sensu et interpretatione, et de his quæ fidei sunt, ergo oportet quod etiam ad regulam aliquam visibilem recurramus in dubiis et controversiis de fide, et consequenter non sistimus in proprio judicio. n. 414

419 Sequela probatur ex variis Scripturæ testimoniis, quæ ipsi etiam hæretici admittunt.

420 Et primum est illud *(JDeut.* 17, 8-11) : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram . . . surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore: queeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco.. .et docuerint te juxta legem ejus.*

421 Ut efficacia hujus loci perspiciatur, refellendæ sunt responsiones quibus illum infirmare possent hæretici. Nam

primo dici potest hic non agi de causis fidei, sed de causis politicis aut temporalibus, ibi *inter causam et causam, lepram et lepram; secundo,* non agi de regula Ecclesiæ quoad res spirituales, quia remittuntur homines ad sacerdotem et ad judicem qui illo tempore præest: judex autem ut distinguitur a sacerdote non est regula fidei; *tertio,* non ponitur hic judex causarum et dubiorum absolute, sed cum restrictione, scilicet, *facies quæ docuerint te juxta legem.* Ergo non est standum judicio sacerdotis nisi juxta testimonium legis.

422 IX. Cæterum hæ responsiones nihil juvant. Nam, quod agatur non solum de causis politicis sed de omnibus, patet: tum ex generalitate verborum de omni ambiguo judicio *inter causam et causam·,* tum secundo, quia haec eadem potestas sacerdotum, quæ hic datur, explicatur amplius (II *Par.* 19, 8-11), et explicite extenditur ad res sacras et spirituales, et ad ipsam legem in qua certe res fidei continebantur. Dicitur enim sic: *In Jerusalem quoque constituit Josaphat levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens: omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum,... inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum... Amarias autem sacerdos et pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* — Ecce quomodo non solum de causis politicis aut temporalibus, sed etiam de lege et cæremonis, etc., quæ omnia in Scriptura continebantur, judicare debebant sacerdotes, et non secundum cujuscumque judicium privatum determinanda erant. — Denique Christus Dominus *{Mat.* 23, 2-3) agens de ista auctoritate sacerdotum: *Super cathedram,* inquit, *Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi:... quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Ubi illa universalis *quæcumque dixerint,* nihil omnino

excludit etiam de causis spiritualibus et ad Scripturam pertinentibus.

423 X. *Secunda etiam responsio refellitur,* quia in eodem loco *(Deut. Y7,* 12), sententia definitiva non ad judicem temporalem, sed ad sacerdotem reducitur, ut patet in illis verbis: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, ma ietur* etc. Ubi imperium cui obediendum est solum sacerdoti defertur, decretum vero, quod magis ad executionem pertinet, judici datur ut videlicet decernat auctoritate sua quod res illæ execution! mandentur. *Item* quia in loco illo (II *Par.* 19, 11), expresse distinguuntur ista duo officia, ut in his quæ ad Deum pertinent præsideat pontifex. Ergo non ad judicem temporalem pertinebat resolutio ultima rerum sacrarum quæ ad Deum spectabant.425 *n·421

424 XI. *Tertia* denique responsio nihit valet.* Non enim est dubium quod resolutio et determinatio istorum dubiorum *juxta legem,* seu Scripturam, facienda sunt; sicut etiam modo in Conciliis et definitionibus Pontificum, illæ definitiones juxta Scripturam faciendæ sunt, cum Ecclesia non condat novam fidem aut Scripturam, sed antiquam explicet. Unde *juxta legem* et Scripturam id facit, non tamen id debet fieri per judicium privatum, sed per judicium Ecclesiæ visibile et externum. Alia loca Scripturæ, præsertim ex Novo Testamento supra* in argumento *Sed contra* adduximus, et plura alia adducemus sequentibus dubiis. *n·421 *n'401

* *

425 XII· **Secunda probatio,** quæ est ex unitate fidei, sic formatur: Ex verbo Dei constat fidem debere esse unam *(Eph.* 4, 5): *Unus Dominus, una fides, unum baptisma,* n·415

(I *Cor.* 1, 10): *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.* Sed unitas fidei et ejus sensus atque sententia retineri non potest si in ejus dubiis standum est privato cujuscumque judicio. Ergo. *Minor* clare patet, cum de eodem Scripturæ loco et ejus intelligentia atque sensu, sint diversæ opiniones et sententiae, imo quot haereses fuerunt, tot sententiae et sensus Scripturarum fuerunt; nam ut recte dicit Hilarius *(De Trin.* Lib. II) »: "De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est, et sensus, non sermo fit crimen". Impossibile est ergo quod fides maneat una si determinatio ejus juxta privatum judicium sequenda est.

426 **Quod confirmatur:** nam posito dubio in rebus fidei et diversis interpretationibus Scripturæ, *vel* teneor assentiri meo fidei privato judicio et spiritui tamquam infallibili fidei determinationi, *vel non. — Si non,* ergo non resolvitur certa et firma determinatio fidei in judicium privatum quantumcumque id conferat cum verbo Dei, de tali enim collatione et judicio loquimur. *Si teneor,* ergo si alter habeat contrarium judicium privatum et contrariam sententiam, etiam illi [suo judicio privato] tenebitur adhærere infallibiliter, et consequenter jam fides est divisa. Quod si tenetur: ergo jam ille contrarium sentiens debet recurrere ad alienum judicium, et non ad proprium, ut verum sentiat.

427 *Quod si dicas,* non debere recurrere ad judicium proprium, sed examinare an id quod proponitur sit conforme ad Scripturam, et id tenebit quod judicaverit illi esse conforme, *contra est,* quia de eodem loco Scripturæ sunt diversæ intelligentiæ privatæ, et aliter judicat unus esse conforme Scripturæ quam alter: ergo non potest esse regula deter-

1 PL 10, 51-52.

minativa istorum dubiorum ipsa conformatio seu collatio ad Scripturam, siquidem non est una pro omnibus sed multiplex, et sic determinatio eorum quæ credenda sunt, et fides circa ipsa non erit communis omnibus, nec una apud omnes, sed divisa secundum diversum examen et intelligentiam Scripturæ quam unusquisque habet.

* *

428 v XIII. **Tertia probatio** sic conformatur. Nam, *vel* unusquisque obligatur credere omnia quæ determinantur esse de fide, *vel non*. — Si non, ergo non omnia quæ determinantur esse de fide habent infallibilem auctoritatem, alias deberem judicare illud esse verum et consequenter credere. Et deinde, quæ esset major ratio cur aliqua deberem credere et non omnia, si æque haberent infallibilem auctoritatem ? n. 416

429 Si autem omnia teneor credere. — Ergo non solum ea quæ ego judico esse vera, sed etiam illa quæ alter judicat, et quæ alter, et quæ omnes judicant: siquidem, sicut meum privatum judicium determinat mihi res fidei, ita et aliis suum privatum judicium determinat illis res fidei.

430 Ergo jam in aliquibus teneor sequi judicium alienum, et non proprium: nempe, id quod alter judicat esse de fide et non ego.

431 Item teneor credere judicia contraria, quia sæpe a diversis contraria sentiuntur et judicantur.

432 Item non erit necesse probare spiritus, siquidem privatum cujuscumque judicium est regula credendorum: ergo cujuscumque spiritus non erit amplius probandus. Vel

si probari potest cujuscumque judicium, ergo similiter et meum, ergo danda est aliqua regula probativa mei judicii, et non in ipso est regula fidei. Si autem nullus spiritus probandus est sed omnes credendi, obstat id quod dicitur (I *Joan.* 4, 1) *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.*

433 Denique, si quis habeat judicium circa aliquam propositionem fidei, ego non teneor eidem assentiri nisi ego quoque examinavero et judicavero quod sit de fide: *vel* ego debeo judicare idem quod alter judicavit, *vel* possum aliter judicare. — *Si idem judicare debeo:* ergo nunquam erunt contrarii sensus et determinationes privatæ circa Scripturam; si quidem posita una teneor idem judicare. Si enim id quod alter judicat est infallibilis auctoritatis, ergo teneor judicare idem quod ipse; nam si possum aliter judicare, vel illud quod alter judicavit non est infallibile, vel possum ego judicare contra infallibilem veritatem et contra fidem, quod est impossibile. Si autem teneor judicare idem quod alter judicat, ergo teneor sequi quodcumque judicium alienum, et consequenter etiam tenebor sequi id quod judicat Papa, et etiam contrarium ejus quod ego judico quando alter oppositum judicavit. XIV. Et deinde, si posito judicio alicujus circa unam propositionem teneor idem judicare, ergo similiter posito judicio Papæ circa eamdem propositionem, tenebor idem judicare quod Papa: nec enim est major ratio cur tenear judicare idem quod alter quilibet homo, et non similiter idem quod Papa: et sic ruit fundamentum haereticorum contra Papam. — *Si vero possum aliter judicare* quam ille alter judicavit, ergo id quod ille judicavit non est de fide: siquidem adhuc ego oppositum sentire possum, contra fidem autem nemo potest sentire. Ergo similiter neque id quod ego

sentio et judico erit de fide certum, siquidem alter poterit oppositum sentire.

434 Igitur positio illa de reductione rerum fidei ad privatum cujuscumque judicium est omnino involvens contradictoria, sed necessario standum est uni regulæ ut fides sit certa, et sit una.

435 XV. **Quarta denique probatio** deducitur ex ipsa antiquissima et continuata Ecclesiæ consuetudine, quæ non aliunde melius firmari potest quam ex tot Conciliorum celebratione per omnes ætates ad determinandas res fidei. Frustra enim determinatio fidei ad Concilia et ad Pontifices deferretur, si unusquisque id determinare posset per privatum judicium, nec teneretur Ecclesiæ judicium sequi. n .417

436 De celebratione autem Conciliorum ubi causæ istæ fidei ventilantur et judicantur cum assensu et confirmatione Pontificis, constat ex tomis Conciliorum jam inde ab exordio Ecclesiæ per omnia sæcula usque ad nos continuatorum, quorum primum habetur *{Act.* 15), quando, docentibus aliquibus circumcidi debere homines de necessitate salutis, *convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc* \ et tandem protulerunt sententiam obligatoriam fidelium dicendo *{Act.* 15, 28) : *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria,* etc. Ergo sine expectation proprii et privati cujuscumque judicii, potest Ecclesia aut Pontifex determinare ea quæ tenenda et credenda sunt, obligando ut alii acceptent, sicut tunc Ecclesia obligavit.

1 Act. 15, 6.

437 Quod et deinceps fecit Ecclesia, damnando hæreses et errores contra fidem in Conciliis, quæ toties usque ad hæc tempora celebrata sunt (quæ non est necesse enumerare et in tomis Conciliorum videri possunt).

438 Unde in *Canonibus Apostolorum* (can. 38) [1], præcipitur ut "bis in anno episcoporum Concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, et emergentes ecclesiasticas contentiones amoveant", qui canon est ex his qui sine controversia pro authenticis recipiuntur etiam apud antiquos, ut colligitur ex capite *Clementis,* (c. 3, D. XVI)[2]; et in Synodo Antiochena (can. 20)[3] præcipitur quod in singulis provinciis bis quolibet anno Concilia habeantur; et in Synodo Nicæna (can. 5)[4]: "Visum est bene habere ut per unamquamque provinciam in singulis annis Concilia celebrentur"; et idem in Concilio Carthaginiensi III, (can. 9)[5]; et ante ista Concilia dixit egregie Tertullianus contra Psychicos *{De Jejunio,* cap. 13)[6]: "Aguntur præcepta per Græcias illas provincias certis in locis Concilia ex universis ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur".

439 XVI. Præter Conciliorum autem tam frequentem celebrationem, quæ est evidens signum judicii Ecclesiæ in causis fidei, et exstat etiam sanctorum Patrum traditio, quæ constanter ad Ecclesiæ judicium, non ad privatum cujuscumque spiritum fidei regulam reduxit.

1 Msi I, 55. De *Canonibus Apostolorum,* Cf. Hef.-L. I, 1203-21.
2 RF I, 42.
3 Msi II, 1315; Hef.-L., I, 720.
4 Msi II, 670.
5 Msi III, 875; Hef.-L., II, 86.
6 PL 2,1024.

440 Sanctus Clemens (Epist. V *ad suos discipulos,* cap. 84) [1] sic ait: "Diligenter observandum est, ut lex Dei cum legitur, non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim plura verba in Scripturis divinis quæ possunt trahi ad eum sensum quem sibi unusquisque sponte præsumpsit, sed fieri non oportet... Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum qui eam a Majoribus, secundum veritatem sibi traditam servavit, ut et ipse possit ea quæ recte suscepit, competenter asserere".

441 S. Irenæus *(Adv. Hser.,* Lib. 4, cap. 26) [2]: "Ubi charismata Domini posita sunt, ibi oportet discere veritatem, apud quos est ea quæ ést ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum, et incorruptibile sermonis constat. Hi enim ... fidem nostram custodiunt,... et Scripturas sine periculo nobis exponunt".

442 S. Ambrosius (Epist. XXI *ad Imperatorem Valentinianum,* 4) "Quis est qui abnuat in causa fidei, episcopos solere de imperatoribus Christianis (id est, de fide eorum), non imperatores de episcopis judicare?" Et infra [3]: "Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio". S. Hieronymus *(Adv. Lucifer.,* 9)[4]: "Si non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata quot sacerdotes".

443 S. Augustinus *(In Joan.,* tract. XVIII, super 5, 19) [5]. "Neque enim natæ sunt hæreses, et quædam dogmata per-

1 PL 130, 58-59; PG I, 508.
2 PG 7, 1056.
3 PL 16, 1046.
4 PL 16, 1048.
5 PL 23,165.
6 PL 35,1536.

versitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur"; et *(Contra Cresconium,* Lib. I, cap. 33) "Ecclesiam, inquit, ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat"; et *(Contra Faustum,* Lib. XI, cap. 2)[2], loquens de veritate librorum seu exemplarium quæ proferri possent a Fausto contra ipsum: "Vides in hac re quid Ecclesiæ catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur"; et (Lib. XIII, cap. 4) u "Si alios, quos dicat Apostolorum nostrorum, codices protulerit, quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurreret ?"

444 Theodoretus in epistola ad Leonem Pontificem[4]: "Si Paulus, prædicator veritatis, ad Petrum accurrit, ut his qui Antiochiæ de vivendo secundum legem Moysis ambigebant explicationem ab illo referret, multo magis nos qui pusilli sumus ad solium apostolicum accurrimus, ut a vobis medicinam ulceribus nostris feramus;. . . siquidem vobis convenit in omnibus sententiam tenere".

445 Ac denique Bernardus (Epist. 190 *ad Innocent.* II)[5]: 'Oportet, inquit, ad vestrum referri apostolatum pericula

1 PL 43, 466.
2 PL 42, 246.
3 PL 42, 283.
4 *Inter Epistolas S. Leonis,* n. 52, PL 54, 847.
5 PL 182,1053.

quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum".

446 ! ; Denique ex pluribus Summorum Pontificum epistolis constat graviores causas ab Apostolica Sede terminandas esse, de quibus sicut de aliis auctoritatibus quæ specialiter loquuntur de Pontifice, in sequentibus articulis dicemus.

* * *

SOLVUNTUR ARGUMENTA

447 XVII. **Arguitur primo** contra nostram resolutionem: Non minus fuit requisita fides tempore Legis scriptæ et legis naturæ quam modo, cum *sine, fide impossibile sit placere Deo (Heb.* 11, 6), ergo non minus fuit requisita regula fidei ad proponendum ea quæ credenda sunt modo quam antea; sed, hoc non ostante, toto tempore Legis verteris non fuit aliquis Papa ad quem pertineret determinare res fidei, nec talis potestas ex tota Scriptura Veteris Testamenti colligitur, ergo etiam ad fidem quæ modo est non est necessaria talis potestas circa certitudinem eorum quæ credenda sunt.

448 *Si dicas* fuisse in Lege veteri prophetas qui proponebant ea quæ revelabat Deus, *contra est,* quia inter prophetas etiam multi erant falsi de quorum auctoritate dubitabatur, juxta illud *(Thren.* 2, 14): *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta;* et *(Ezech.* 22, 28) : *Prophetæ ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium;* et (III, *Reg.* 22, 5-6), narratur historia de quadringentis prophetis qui mendacium prophetabant; igitur non potest assumi pro

regula infallibili dictum prophetæ, siquidem adhuc restabat judicandum an esset verus vel falsus propheta.

449 Nec etiam ad summum sacerdotem pertinebat hæc determinatio rerum fidei: *tum* quia nullibi in Scriptura assignatur ei talis potestas aut confirmatio aliorum in fide, cum tamen omnia pontificis munera numerentur *(Exod.* 28, 29 et aliis in locis) ; *tum etiam,* quia Aaron ipse primus pontifex erravit in multis, ut proponendo populo vitulum quem adoraret pro Deo *(Exod.* 32, 4-5); item loquendo contra Moysen *(Num.* 12) ; et *(Num.* 20,12) dicitur Moysi et Aaron: *Quia non credidistis mihi, . . . non introducetis hos populos,* etc.; *item* Salomon ejecit Abiathar sacerdotem ut non esset sacerdos Domini (III *Reg.* 2, 26-27), — ergo non firma erat et infallibilis eorum auctoritas ad non errandum.

Θ

450 XVIII. **Respondetur,** negando non fuisse in Lege antiqua visibilem regulam fidei ad proponendum infallibiliter ea quæ credenda essent, et determinandum dubia quæ circa res fidei orirentur.

451 Et quidem, cum constet plurimos tunc fuisse prophetas quorum multi falsi erant, ut inter arguendum probatur, *n. 448 necessarium erat discernere quisnam esset verus propheta, et quis falsus, et consequenter ad hoc erat necessarium aliquod judicium superius ad privata judicia talium prophetarum.

452 Unde *(Deut.* 13, 2-6), præcipitur ut propheta quantumvis signa et portenta fecerit, si contra doctrinam Legis docuerit, interficiatur; et idem præcipitur *(Deut.* 18, 20-22), et ponitur signum quo intelligere possent prophetam non

esse verum, scilicet: *Si non ita evenerit sicut locutus est.* — Hinc est quod ut erudite notat cardinalis Baronius[1] apud Judæos fuit collegium seniorum originem trahens ex illis septuaginta duobus quos elegit Moyses *(Num.* 11, 24-25), ut essent magistri populi et in concilio tractabantur de Lege, de propheta, de regibus, et supremis causis illius reipublicæ, et primus inter seniores illius concilii vocabatur princeps sacerdotum; et de hoc concilio videtur loqui Scriptura (I *Par.* 26, 15), cum dicit quod *ad austrum domus erat seniorum concilium.*

453 Et hinc est quod, cum dubitaretur[2] in populo de Joanne an ipse esset Christus, miserunt ad eum sacerdotes et levitas ut interrogarent eum[3]: *Tu quis est?* Quia videlicet ad hoc sacerdotum concilium, a quo legatio missa fuit, pertinebat cognoscere de vero propheta.

454 Ea etiam causa fuit quod Christus, quando comprehensus fuit, ut habetur *(Joan.* 18, 13), prius ductus est ad Annam principem sacerdotum quam ad Caipham, quia erat Annas primus[4] illius collegii seniorum ad quem spectabat de vero propheta cognoscere.

455 Denique *(Act.* 4, 6), cum congregaretur concilium ad cognoscendum de doctrina Apostolorum, nominatur primo loco Annas princeps sacerdotum, deinde Caiphas, etc., quia videlicet in illo concilio ubi de veritate doctrinæ agebatur, præsidebat illius collegii superior qui erat Annas. Sic ergo in Lege antiqua constat fuisse concilium et judicem ad quem

1 Baronius, *Annales,* an. Christi 31, n. 10.
2 *Joan.* 1,19-21.
3 *Joan.* 1,19.
4 Quasi primatu honoris, non autem jurisdictionis.

pertineret cognoscere de Lege et veritate doctrinæ, et de propheta an esset verus vel falsus.

456 XIX. Quod etiam constat ex loco supra allegato (II *Par.* 19, 10): *Ubicumque quaestio est de lege, de mandato, . . . ostendite eis,* etc. *n·422

457 Quod vero judices illi qui ibi præerant, cum docerent ex cathedra, infallibiliter docerent, patet: — *tum* ex eo quod dicitur *{Deut.* 17, 12): *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio,... morte morietur:* erat ergo irrefragabilis auctoritas illius judicii. — Et iterum *{Mat.* 23, 2-3): *Super cathedram Moysi sederunt scribae, et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite,* etc.: ergo omnibus quæ ex cathedra docerentur credere tenebantur homines. — Ac denique, quod assistentiam haberent ad non errandum, non obscure colligitur ex illo Joanni undecimo, ubi loquendo de concilio congregato a Caipha et sententia ab eo prolata, dicitur *{Joan.* 11, 51): *Hoc autem a semetipso non dixit', sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Ubi pondero illam causalem *cum esset pontifex. . . prophetavit,* quod certe non diceretur, si officio pontificis non esset adjuncta auctoritas non errandi.458 *n·450

458 XX. Ad id autem quod instatur* de Aaron qui proposuit toti populo vitulum adorandum, *respondetur* nos non excusare Aaron a peccato, ut quidam voluerunt, quos refutat Abulensis (super caput 32 *Exod.* q. 33), neque veritati consonum existimamus id quod aliqui ex Rabbinis asseruerunt, scilicet Aaron non fecisse vitulum illum, sed projecto auro in ignem opere dæmonis subito vitulum illum erupisse: hoc enim jure damnat communis interpretum sententia: Abulensis, Cajetanus, Hugo, Oleaster, Lyra, et alii, *n·449

cum in ipso textu [1] dicatur quod Aaron fecit vitulum opere fusorio artificiose scilicet operando. — Quod autem postea excusando se apud Moysen dixerit[2]: *Projeci aurum in ignem, egressusque est hic vitulus,* non negavit artificiosam vituli operationem, sed ut ait Augustinus *(Quaest. in Heptat.* Lib. II, q. 145 *in Exodi)* [3]: "Compendio locutus est, non dicens quod ipse formaverit ut egrederetur vitulus fusilis".

459 Peccavit ergo Aaron sicut aperte significatur, aut potius supponitur in Scriptura *(Deut.* 9, 20): *Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere Deus.* Cæterum peccatum ejus aliqua ex parte diminuunt Augustinus *(Quæst. in Heptat.* Lib. II, q. 146 in Exod.)[4] et Theodoretus[5], et Abulensis (q. 35) censet ipsum [Aaronem] non peccasse peccato infidelitatis, nec secundum fidem interiorem, quia non credidit illum vitulum esse Deum, nec proponendo eis nec declarando illum esse Deum, sed tantum non compescendo populum in peccato illo, aut etiam adjuvando opus vituli ex nimio timore ne ipsum [Aaronem] occiderent. Unde dicit Augustinus *(De Civit. Dei,* Lib. XIV, cap. 11)[6]: "Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus". Et pulchre Oleaster (super caput 33 *Exodi),* comparat peccatum Aaron peccato Petri quando negavit Christum ex timore, licet uterque esset pontifex, ille Veteris, hic Novi Testamenti. Et sicut narratur de Marcellino Papa [7], quod adolevit incensum idolo (si tamen vera est illa historia) sine detrimento aliquo auctoritatis Apostolicæ Sedis.

[1] Cf. *Exod.* 32, 4.
[2] *Exod.* 32, 24.
[3] PL 34, 645.
[4] PL 34, 645.
[6] In *Exod.,* cap. 32, PG 80, 291.
[•] PL 41, 419.
[7] Cf. Hef.-L., I, 207-208.

460 Denique, quantumvis Aaron esset pontifex, tamen pro tunc non pertinebat ad illum decidere et determinare causas Legis aut proponere Legem populo, sed Moysi, qui erat supremus legislator a Deo institutus; et ideo licet persona Aaron errasset, sicut et persona Pontificis errare potest, tamen officium et auctoritas ad proponendam fidem et ejus dubia determinanda, mansit sine errore in Moyse, ad quem causæ istæ referebantur non ad Aaron, ut habetur *(Exod.* 18, 13-26). Aaron vero, illis diebus mansit quasi vicarius Moysi, ut notarunt Dionysius Carthusianus, Abulensis, et Hugo cardinalis (super caput 32 *Exodi).*

461 *Quod vero* Aaron murmuraverit contra Moysen, non est peccatum erroris in proponenda fide, sed peccatum murmurationis. ñ. 449

462 *Quod etiam* dicitur *[Num.* 22, 12): *Non credidistis Deo,* respondetur quod illud non credere, *aut* fuit actus infidelitatis personalis, non officii; nec enim proponendo fidem populo, sed verbis ambiguis loquendo, unde et occulte in animo ejus lateret illa dubitatio nisi ex Domini sententia proderetur, ut ait Augustinus *(Quaesi. in Heptat.* Lib. IV, q. 19 super *Num.) ·, aut* fuit actus diffidentiæ in Deum potius quam infidelitatis,[1] ut notavit Cajetanus super caput *XX Numerorum.* ñ. 442

+ ¥

463 XXL **Arguitur secundo:** Nam aliqua sunt quæ credere debemus sine aliqua regula proponente et auctoritate regulante; ergo simpliciter non est necessaria etiam quoad nos illa auctoritas proponens ad firmandas res fidei.

1 PL 34, 726.
2 cf. tamen Cajetanum, in IIam–IIæ) q. 1, a. 1, n. 11.

464 *Antecedens probatur,* nam hoc ipsum quod est talem hominem, scilicet Summum Pontificem, proponere et vere definire res fidei, et habere ad id supremam potestatem debet a nobis credi; alias si id non creditur nutat omnis certitudo circa res ipsas propositas; si autem creditur, ergo *vel* indiget quod id proponatur aliqua alia regula, *vel non.* — *Si primum,* erit processus in infinitum, nam de alia regula interrogabo quomodo certum sit quod ipsa definit ac certo proponit in particulari; *si autem* sine regula proponente creditur, ergo ruit totum fundamentum positum, nam sicut hoc creditur absque regula aliqua proponente, etiam et alia imo omnia credi possunt.

465 *Si dicas* quod ipsemet proponens, qui est Summus Pontifex, est regula sui ipsius et cæterorum, et proponit suam auctoritatem ut credendam et se esse Pontificem, *contra est,* quia ipse non potest esse regula certa respectu sui ipsius: si enim de hoc volumus certificari an ipse sit regula, quomodo per ipsummet certificabimur de qua quaerimus? Oportet enim nos regulari et certificari per aliquid certius, et non per id de quo dubitatur: id enim esset petere principium.

466 *Quod si dicas* constare ipsum esse Pontificem, *vel* ex eo quod videmus esse rite electum, *vel* ex acceptationem Ecclesiæ: hoc jam est recurrere ad aliam regulam, nempe ad Ecclesiæ acceptationem, et hæc etiam potest esse regula pro aliis credendis.

©467

467 XXII. **Respondetur negando antecedens.** Ad ejus probationem respondetur solutione ibi* data, quod Pontifex est suprema regula et sui et aliorum; sicut illud *n. 465

quod est perfectissimum in aliquo genere est mensura sui et cæterorum. [1]

468 Hoc tamen habet Pontifex supposita acceptatione Ecclesiæ, non quod acceptatio Ecclesiæ sit regula, sed requisitum necessarium seu conditio ut ille homo regula sit. Sicut enim Ecclesia habet jus eligendi sibi Pontificem, ita et acceptandi ipsam electionem et facta rite electione electum acceptare tenetur.

469 *Quod si non acceptai* rationabiliter propter aliquem defectum electionis vel electi, ille non est adhuc rite et certus Pontifex, et ideo non mirum quod de se ipso non possit judicare.

470 *Posita vero acceptatione* electionis ab Ecclesia, Papa judicat et determinat tam de se ipso quam de aliis ex potestate accepta a Christo in institutione Petri et successorum ejus. Unde in virtute hujus potestatis et directionis divinæ etiam de se ipso judicare potest, quia in rebus fidei etiam persona Papæ auctoritati Papæ subjicitur, sicut etiam ligat seipsum Pontifex quando definit res fidei et tenetur credere ea quæ definit. Nam ut dixit optime Cajetanus in fine commentarii super hunc articulum decimum, Papa in his excedit seipsum, sicut David in excedendo seipsum se et omnes vere judicavit mendaces dicens (Ps. 115, 11): *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.* De hoc tamen infra *(Disp.* II, a. 2) agemus tractando an sit de fide per se primo hunc hominem esse Pontificem.

471 Quod autem ipsa Ecclesia Pontificem possit eligere, et ipse sic electus omnem auctoritatem Petri suscipiat, præter

[1] cf. J. a s. Th. *Curs. Theol.,* II, Solesm., disp. 9, art. 1, n. 14, 36-37.
cf. J. a s. Th. *Curs. Theol., N,* Vivès, disp. 1, art. 2, ŋ. 2-5.

probationes inferius *(Disp.* II, a. 1) adducendas, constat ex traditione per successiones episcoporum ab Apostolis veniente, et unanimi Ecclesiæ consensu sic semper continuantis regimen et gubernationem suam per successionem Pontificum eligendo ipsos. Unde et Patres cum probant esse veram Ecclesiam hanc nostram quam catholicam nominamus, et in ea esse legitimam Scripturam divinam, id probant ex traditione Apostolorum et successione episcoporum in ipsa, sicut potest videri in Irenæo *(Adv. Hær.* Lib. III, cap. 3, 4) q Tertulliano *(De Præscript.,* cap. 19, 36)[1]; Augustino *(Contra epistolam fundamenti,* cap. 4)[3]: quorum verba supra retulimus.

* ¥

472 XXIII. **Tertio arguitur:** Pontifex non potest determinare et proponere res fidei nisi præcedente disputatione et discursu. Res autem fidei per discursum non acquiruntur, sed simplici revelatione. Ergo non debent determinari per Pontificem. — *Major* est certa: tum ex communi praxi et consensu Ecclesiæ in qua nihil definitur nisi magna præcedente disputatione; tum ex facto Apostolorum *(Act.* 15, 7), ubi convenientes ad rem quamdam definiendam prius magna conquisitio facta est. — *Minor* patet, quia dicit Damascenus *(Expositio accuratafidei orthodoxae,* Lib. IV, cap. 2)[4]: "Fides non est inquisitus assensus." Ergo non innititur discursui et inquisitioni, sed simplici auctoritati.

473 *Confirmatur,* quia si ea quæ sunt fidei sic [per discursum] determinantur, non potest Pontifex definire nisi conclusiones

1 PG 7, 849, 855.
2 PL 2, 31, 44.
3 PL 42,175-176.
4 PG 94,1128.

theologicas et scitas, quia per disputationem praecedentem prius per discursum inferuntur quam definiantur.

©

474 XXIV. **Respondetur** distinguendo minorem. Res fidei non acquiruntur per discursum, sed simplici revelatione, quantum ad rationem formalem credendi et ipsum assensum qui est actus fidei, *concedo;* quantum ad determinationem et discussionem quæstionum circa res fidei et discernendum credenda a non credendis, *nego minorem.* — Et hoc modo intelligitur auctoritas Damasceni[1] quod "fides est non inquisitus assensus" quantum ad ipsum actum credendi et rationem formalem ejus, quia innititur auctoritati divinæ immediate et non discursui nostro. Ea tamen quæ fidei actum antecedunt et pertinent ad determinationem eorum quæ credenda sunt, et ad judicanda dubia circa ipsa, bene possunt pertinere ad discursum. Unde dicit D. Thomas (IIc-IIæ, q. 2, a. 1 ad 1) quod "homo habet inquisitionem quamdam eorum per quæ inducitur ad credendum, puta quod sint dicta a Deo, et miraculis confirmata, licet fides non habeat inquisitionem rationis naturalis demonstrantis".

475 XXV. *Ad confirmationem respondetur* nullum esse inconveniens quod res aliqua sit simul credita et scita theologice, eo modo quo theologia habetur in hac vita, scilicet non habendo evidentem visionem in suis principiis. De quo videatur magister Banez (in *IIam-IIæ,* q. 1, a. 5, dub. I, Conci. 4). ñ. 473

476 Deinde *respondetur* non omnia quæ determinantur de fide necessario esse tanquam conclusiones theologicas,

1 S. Damascenus, *Expositio accurata fidei orthodoxæ.* Lib. IV, cap. 2, PG 94,1128.

nec enim est necesse ad determinandum aliquid de fide illud inferri ex praemissis aliis de fide, sed sufficit quod constet de ejus traditione aut consensu communi Patrum quod id contineatur in revelatione Scripturae aut Apostolica Traditione. Sicut etiam ut aliquis canonizetur pro sancto, non est necesse quod inferatur tamquam conclusio theologica hunc hominem esse in ccelo, sed sufficit quod visis et probatis testimoniis de ejus sanctitate ac miraculis, proferatur sententia canonizationis.

¥ ¥

477 XXVI. **Quarto arguitur:** Nam probabile est Concilium generale, etiamsi Papa non sit præsens nec legati ejus habeant specialem instructionem a Papa, etiam ante confirmationem Pontificis non posse errare. Ergo sufficienter habent fideles regulam fidei sine recursu ad Papam, aut saltem non est omnino certum solum unam esse regulam fidei infallibilem, sicut D. Thomas intendit (IIa-IIæ, q. 1, a. 10) probando id ex unitate Ecclesiæ, et reducendo hanc regulam ad eum qui præest Ecclesiæ.

©

478 XXVII. Ad hoc argumentum latius respondebitur *infra*[1] ubi de regula quam possunt præbere Concilia ad res fidei disputabitur.

479 **Interim dicimus** quod etsi dubium sit apud theologos an Concilium rite congregatum ante confirmationem Pontificis et sine ejus speciali instructione errare possit (et probabilius est posse errare) ita quod non habeat infallibilitatem

[1] Non tractavit Joan, a Sto Thoma de hac quæstione.

non errandi independenter a confirmatione Pontificis, tamen, quod ad præsens attinet, dicimus quod adhuc Concilium, quantum est ex propria ratione Concilii, non est ultima regula credendorum. Siquidem non per se habet Concilium quod omnes in eo concordent in sententia ferenda: quo casu certum est apud omnes posse esse obnoxium errori et indigere Summi Pontificis regulatione. In aliquo autem casu, admitti potest quod Concilium errare non possit scilicet quando est omnium concors sententia nemine discrepante: tunc enim quia Concilium repræsentat universalem Ecclesiam et auctoritative est tota Ecclesia, etsi non entitative, et illa non potest errare, ideo, dum in unam conspirant sententiam de fide, omnes patres Concilii non errabunt. Quia tamen major pars Ecclesiæ [entitative] errare potest, præsertim ante Summi Pontificis determinationem, et quia Concilium ex vi Concilii non semper habet, imo forte rarius, ex communi et concordi omnium sententia procedere, ideo per se loquendo, Concilium non est ultima regula sed necesse fuit dari aliam quæ nunquam sentire posset defectum.

480 Item, licet errare non posset Concilium generale, tamen quia in Concilio generali semper supponitur subordinatio ad caput Ecclesiæ (quam subordinationem si non haberet, non esset Concilium, sicut Ecclesia sine subordinatione ad caput non esset Ecclesia), ideo licet errare non possit Concilium, id tamen non potest supposita subordinatione et illa stante, non aliter; ac proinde, ut ipsa subordinatio servetur, necesse est quod sicut Concilium judicat ita Pontifex confirmet et judicet, sicut in omnibus causis subordinatis apparet. Licet enim homo generare possit hominem ut propria et per se causa illius, tamen quia id non habet nisi cum subordinatione ad solem, necesse est quod sol influat, nec superfluit ejus causalitas et similiter aliæ causæ superiores. Sic licet Ecclesia vel ejus repræsentatio quæ est Concilium, errare

non possit, id tamen non potest ut causa subordinata, atque adeo ex influxu superioris, qui est Pontifex, non errabit; et illa subordinatione sublata, Concilium non erit et errare poterit.

44

481 XXVIII. **Quinto arguitur:** Non requiritur infallibilis auctoritas in proximo proponente fidem, ergo neque in primo et supremo proponente.

482 *Antecedens* patet: nam proxime proponens fidem est doctor particularis aut prædicator, qui docet populo ea quæ fidei sunt, cui non est facta aliqua promissio infallibilis assistentiæ ne erret.

483 *Consequentia* vero probatur: *tum* quia populus non accipit immediate doctrinam fidei a Summo Pontifice, sed a prædicatoribus. Ergo, si ideo requiritur infallibilis regula in primo proponente visibili quia Deus per seipsum non proponit sed per alios homines, similiter in ultimo proponente [i.e. prædicator] requiretur hæc infallibilitas, quia populus non recipit a Pontifice fidem sed mediante prædicatore; *tum secundo,* quia populus tenetur credere infallibiliter prædicatori proponenti sufficienter fidem: ergo debet ei constare de infallibilitate proxime proponentis, alias si potest errare et falsum proponere, non potest populum obligare ex vi suæ propositionis ad credendum, et ita nunquam obligarentur fideles ad credendum, nisi quando ipse Pontifex proponeret per seipsum.

484 XXIX. Ad hoc argumentum respondet Suarez *(De fide,* disp. 5, sect. 1) [1] quod proxime proponens fidem, quando

[1] Suarez, *Op. omnia,* T. XII (Vivès), p. 138-139.

eam sufficienter proponit, habet auctoritatem infallibilem quasi actualiter et per modum transeuntis; supremus autem proponens, scilicet Pontifex, habet eam permanenter et per modum habitus.—Et ratio est quia non potest res dicta existimari infallibiliter vera ab audiente nisi ipse dicens credatur non posse fallere in eo quod dicit. Si ergo res fidei sufficienter ab aliquo proponitur, necesse est quod obligetur credere illa esse vera quæ sibi proponuntur, et consequenter ut credat ipsum proponentem non fallere.

485 *Quia tamen urgeri potest* ista responsio quia proxime proponentibus nulla est facta promissio infallibilis auctoritatis nec per modum transeuntis et actualiter nec per modum permanentis, ergo sine ullo fundamento dicimus illos [proximos proponentes] habere auctoritatem infallibilem etiam actualiter tantum.

486 *Respondet* verum esse quod non habent proponentes seu docentes fidem promissionem aliquam infallibilis auctoritatis factam ipsis personis, seu officio quod exercent: id enim est proprium Pontificis; sed eam habere ratione ipsius propositionis factæ cum omnibus requisitis ut sit sufficiens, et alium obliget ad credendum cui conjuncta videtur divina providentia, ad quam spectat ut non sinat sufficienter tamquam de fide proponi quod non est de fide.

487 Unde tandem distinguit inter eum qui habet infallibilem auctoritatem quasi permanenter sicut Summus Pontifex, qui est prima regula proponentium, et eum qui habet infallibilem auctoritatem quasi actualiter et transitorie, sicut proxime proponens quando sufficienter proponit res fidei: quod qui *primo modo* habet auctoritatem infallibilem, quasi communicat et dat illam rebus dictis statuendo et determinando quid sit de fide, quid non. Qui vero *secundo modo*

habet auctoritatem, potius accipit illam ab ista regula et a motivis quibus illam confirmat, et sic quoties proponit sufficienter fidem, potius habet infallibilitatem accipiendo ab ipsa doctrina quam doctrinam infallibilem statuendo.

Θ

488 XXX. Cæterum modus iste dicendi in verbis videtur nonnihil durior, nec enim propositio illa, ut jacet, admittenda videtur, quod proxime proponens habet infallibilem auctoritatem ad non errandum, etiam actualiter, et non per modum permanentis, sed solum quod [proxime proponens] sufficienter proponit doctrinam infallibiliter credendam, et a legitima regula propositam et Ecclesiæ traditam.

489 Duo enim considerare possumus in proponente proximo, *alterum tenens se ex* parte personæ, ut scilicet cum sufficienter proponit non erret, nec possit errare ex vi officii et personæ ad id ministerium electæ; *alterum* tenens se ex parte doctrinæ: et hic duo possunt considerari, alterum ex parte modi proponendi, seu motivorum quæ afferuntur ad credendum quod sufficientia sint; alterum ex parte doctrinæ propositæ quod scilicet sit sufficiens.

490 *Quoad primum* non potest concedi quod proxime proponens habeat infallibilem auctoritatem etiam per modum actualis exercitii, nec ipse Suarez concedit, quia ex vi ministerii et officii quod exercet, etiam quando illud actualiter exercet, non habet sibi promissam infallibilem assistentiam: siquidem singularis prærogativa est cathedræ Petri ut ex vi officii et cathedræ illius non possit errare in fide. Et in hoc extollitur a Patribus Sedes illa super omnes alias, quia nulli alteri privilegium hoc concessum est. Unde dixit

Bernardus (Epist. *ad Innocentium II Papam*)[1]: "Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, cui enim alteri sedi dictum est aliquando: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua!*" Quod si non alteri sedi, ergo nec alteri officio aut ministerio.

491 XXXI. *Quoad secundum vero,* supposito quod proponuntur ab aliquo sufficientia motiva ut cognoscatur credibilitas nostræ fidei, et ipsa vera et sufficiens doctrina fidei proponitur, certum est quod infallibilem auctoritatem habet et sufficientem ad obligandum non quidem ex parte proponentis, sed ex parte rei propositæ et credibilitatis ejus explicatæ: haec enim est quæ obligat ad credendum. n. 489

492 Quod autem alter teneatur credere quod qui dicit non potest ipsum fallere, nullo modo requiritur, quia ipse non movetur ab auctoritate illius, sed a rebus sibi propositis et earum explicatione quæ sufficienter sibi facta est; nec enim ad proxime proponentem spectat determinare audientibus quæ sint res credendæ vel non credendæ, et dubia circa fidem per auctoritatem decidere et sententiare, sed solum ea proponere quæ sufficienter movent ut ea quæ dicit credibilia judicentur, ad quod non est necesse spectare auctoritatem proponentis quod possit vel non possit fallere, sed solum ad motiva quæ proponit an sint sufficientia ad movendum vel non. *Et ratio* est clara, quia ille qui proponit, ad movendum aliquem [infidelem] ad fidem non potest suam auctoritatem infallibilem alteri declarare, nisi per aliqua motiva quibus alter intelligat aut credat talem infallibilitatem esse in illo homine; ergo impertinens est tunc recurrere ad infallibilitatem proponentis, sed solum [pertinens est] ad infallibilitatem motivorum quibus alter cognoscat credibilitatem eorum quæ sibi proponuntur.

[1] PL 182,1053.

493 Constat enim obligationem ad credendum in audiente fidem tunc nasci quando sibi sufficienter proponitur; sufficienter autem proponitur quando sufficientia motiva ad credibilitatem fidei ostendendam explicantur. De quo videatur magister Banez (IIa-IIæ, q. 1, a. 10, dub. ultimo). Vitanda est ergo locutio Suarez, quatenus indicare videtur in ipso proponente esse infallibilem aliquam auctoritatem, vel assistentiam divinæ providentiæ ne erret quando sufficienter proponit, quasi id necessarium sit ut audiens fidem judicet ipsum qui proponit non posse fallere: hoc enim nullo modo necessarium est, cum ille non sententiet et determinet res fidei sed moveat ad credendum. Imo si id teneretur judicare ille qui audit fidem a proponente, etiam nunc omnes fideles tenerentur judicare quod ille proponens non potest fallere: siquidem omni infallibili veritati tenentur credere; constat autem quod ego non teneor credere quod ille non potest fallere, etsi tenear credere res propositas ab illo,non tamen quia ab illo; eodem ergo modo tenetur judicare infidelis qui audit et movetur ad fidem.[495]

494 XXXII. Ad argumentum autem propositum, facillime respondetur negando consequentiam. — *Ad primam* probationem,* dicitur quod populus accipit doctrinam fidei immediate a Summo Pontifice, ut a proponente per modum judicis et regulæ determinantis res fidei; ab aliis autem praedicatoribus, ut a moventibus seu manifestantibus judicium Papæ. Sicut qui promulgat sententiam latam a principe aut defert ejus leges ad alios, non habet auctoritatem sanciendi illas etiam per modum transeuntis, sed solum applicandi et manifestandi sententiam et leges principis; sic se habet Pontifex in determinando, et prædicatores in proponendo. *°·483

495 Quod autem diximus* requiri regulam visibilem quia Deus per seipsum non proponit, *ideo est* quia Deus per se [483] *“ı

ipsum nec proponit manifestando, nec proponit dubia determinando per seipsum, et ideo necesse fuit infallibilem regulam relinquere in determinante et sententiante res fidei, non in omni manifestante.

496 XXXIII. *Ad secundam probationem,* respondetur ex dictis quod populus tenetur credere prædicatori proponenti sufficienter, non ratione personæ, sed ratione rerum quas proponit: unde non debet populo constare de infallibilitate proponentis, sed de infallibilitate doctrinæ: *aut* quia proponitur ut definita, Ecclesia non contradicente, si cum catholicis agatur; *aut* quia proponuntur motiva sufficientia ad inducendam credibilitatem eorum quæ proponuntur si cum non-catholicis agatur. n. 483

497 Unde potest quidem falsum proponere, sed tunc non obligabit, quia nunquam stat quod *sufficienter* aliquis proponat aliquam doctrinam ut infallibiliter credendam, et quod proponat falsum: non propter infallibilitatem personæ, sed propter incompatibilitatem [1] doctrinæ falsæ cum *sufficienti* propositione.

498 *Sufficiens enim propositio* non solum requirit miracula (nam etiam *pseudochristi et pseudoprophetae dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi, (Mat.* 24, 24), sed quod miracula vera sint, et facta in confirmationem illius doctrinæ, et quod illa doctrina sit consona rationi, et consona Scripturæ, et traditioni antiquorum, etc.: quæ omnia non possunt concurrere cum falsa doctrina. Quare qui sufficienter proponit, id est, cum omnibus istis motivis, obligabit ad credendum infallibiliter, n. 56sq.

[1] Cf. Joan, a s. Th., *Curs. Theol.,* in Ilam-IIæ, q. 1, a. 3, *De Fide,* disp. 2, a. 4, n. 51.

non propter proponentem, sed propter sufficientiam doctrinæ et motivorum ejus: quod non est inconveniens.

¥ ¥

499 XXXIV. **Sexto arguunt** et instant hæretici: quia si Pontifex judicat et determinat ea quæ credenda sunt, *ergo* judicat et determinat ipsas Scripturas earumque sensum; *ergo* habet auctoritatem super auctoritatem Scripturæ, et consequenter Scriptura non est authentica nisi a Papa proponatur; *ergo* magis authenticum et majoris auctoritatis est verbum Papæ quam verbum Dei in Scriptura, quod est absurdum.

500 *Confirmatur* quia si fides nostra et ea quæ credenda sunt pendent a judicio Ecclesiæ, ergo pendet a verbo hominum, et consequenter debilissimo nititur fundamento: quod est contra ipsum verbum Dei, quod sicut Dei est inspiratum, ita et Spiritu Dei debet intelligi.

©

501 XXXV. **Respondetur** quod auctoritas Papæ non est supra auctoritatem Scripturæ, aut·ejus revelationem quæ ex Deo est, sed supra explicationem ipsius Scripturæ, et determinationem eorum quæ dubia sunt et non explicata ad credendum. — Nec illa consequentia est alicujus momenti: Scriptura non est authentica nisi a Papa proponatur; ergo magis authenticum est verbum Papæ et majoris auctoritatis quam Scriptura. Proceditur enim in hac consequentia a secundun quid ad simpliciter.

502 In *antecedente* enim dicitur Scripturam non esse authenticam nisi a Papa proponatur, quia id est necessarium ut conditio requisita ut sit authentica in ordine ad nos, non tamen ut ratio et causa per se auctoritatis Scripturæ sed propositionis et declarationis ejus.

503 In *consequenti* autem infertur quod magis est authenticum verbum Papæ simpliciter et absolute, sed inferendum erat quod est magis authenticum in proponendo et explicando Scripturam, quod verum est; nam Scriptura non explicat se, nec judicat et determinat dubia circa fidem, sed præbet ea unde faciendum est tale judicium. Sicut non valet similis consequentia: Ignis non potest calefacere nisi applicatus, ergo applicatio magis calefacit quam ignis; homo non potest ambulare nisi super terram, ergo terra magis ambulat: quia videlicet illud axioma[1]: Propter quod unum tale, et illud magis, intelligitur in causis per se, non in his quæ requiruntur ut conditio.

504 XXXVI. *Ad confirmationem* respondetur quod fides *n. 500
nostra pendet a judicio Ecclesiæ ut a conditione requisita, non ut a causa per se illius: hæc enim est divina auctoritas. Unde non innititur debilissimo fundamento, quia propositio sa-
Ecclesiæ non est ejus fundamentum.—Adde *judicium Ecclesiæ non esse verbum pure humanum, sed a Spiritus Sancti assistentia gubernatum ratione cujus deficere non potest in fide; unde et appellatur ab Apostolo Ecclesia (I *Tim.* 3, 15): *Firmamentum et columna veritatis.* Unde intelligentia Ecclesiæ Spiritu firmissimo procedit, quia est Spiritus Dei.505 *n'

505 Sed *instat* Lutherus: Nam unusquisque debet reddere rationem fidei suæ ante Deum; ergo ad untimquemque pertinet approbare eam fidem pro qua ipse reddere debet rationem, juxta regulam juris *(Reg.* 29, R. J,, in VI°)[2]: *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Respondetur* unumquemque debere reddere rationem de fide sua quantum ad rectitudinem fidei quam tenuit, et impletionem præceptorum de fide, sicut debet reddere rationem de

1 Arist., I *Post. Anal.* II, 15 (72 a 29).
2 RF II, 1122.

omnibus aliis quæ gessit in hac vita; non tamen debet reddere rationem de determinatione et judicio circa res fidei, quia hoc non pertinet ad unumquemque hominem. Sicut debet reddere rationem de impletione omnium præceptorum, non tamen ad ipsum pertinet determinare et statuere ista præcepta, quia non de statuendis præceptis sed de obedientia illorum pertinet ad ipsum.

506 Regula autem juris impertinenter adducitur: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,* quos tangit de jure, non de facto: id est, qui habent jus circa rem aliquam omnes ad quos tale jus pertinet debent illam approbare seu determinare; qui vero non habent jus circa rem aliquam constituendam aut determinandam sed potius jure aliorum subduntur, non pertinet ad ipsos approbare id quod tangit eos tamquam subditos. Verbi gratia, ad electionem Ecclesiæ vacantis debent omnes convenire qui habent jus eligendi, ut dicitur in capite *Quia propter* (c. 42, X, *de electione et electi potestate,* I, 6) [1], quia ipsos tangit de jure; ad eos autem quos tangit tamquam subditos gubernatio Ecclesiæ, et ad ipsum qui eligendus est, non pertinet electio, quia tangit eos quasi in effectu, non quasi in jure; alias, quia gubernatio et leges principis tangunt subditos, deberent a subditis approbari et determinari ut essent validæ, quod est absurdum. Sic fides tangit omnes quatenus omnes illam debent habere, non tamen ab omnibus debet determinari et judicari, quia ad hoc non habent jus et auctoritatem.

* *

507 XXXVII. **Septimo arguitur:** Ex pluribus auctoritatibus Scripturæ, quibus significatur pertinere judicium de

[1] RF II, 88-89.

doctrina ad cujuscumque spiritum, non autem ad unius supremi capitis auctoritatem.

508 *In primis* enim dicitur (I *Joan.* 2, 27) : *Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Per unctionem autem intelligitur invisibilis virtus Spiritus Sancti, ut explicat D. Augustinus *(In I Joan.,* tract. 3, super 2, 27) «, et ibidem hanc ipsam proponens quæstionem S. Augustinus. "Si unctio, inquit, docet vos de omnibus, quid nos facimus, fratres, quia docemus vos?" Subdit ad quæstionis solutionem. "Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster". Igitur regula eorum quæ docentur non ad cathedram docentis hominis, sed ad unctionem loquentis Spiritus debet reduci.

509 *Item* D. Paulus (II *Cor.* 13, 5): *Vosmetipsos,* inquit, *tentate si estis in fide: ipsi vos probate;* ergo probatio fidei pertinet ad uniuscujusque judicium, non ad judicium Papæ.

510 *Et similiter (Rom.* 8, 16) : *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus; ergo* a fortiori testimonium reddit de fide quam habemus.

511 Unde et *generaliter* ad judicanda ea quæ nobis a Deo donantur, ponitur testimonium Spiritus (I *Cor.* 2, 12) : *Nos autem non accepimus spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Recurrendum est ergo ad Spiritum Dei quem in nobis recipimus, non ad auctoritatem alicujus proponentis.

1 PL 35, 2004.

512 *Item* (I *Cor.* 2, 15): *Spiritualis omnia judicat: et ipse a nemine judicatur;* ergo spirituales viri, seu recipientes Spiritum, non habent necesse ad aliquem recurrere qui judicet et determinet eis causas fidei, sed ipsi judicare possunt.

513 XXXVIII. Hinc est quod *{Act.* 17, 11) laudantur Berœnses eo quod scrutabantur Scripturas an ita se haberent quæ Paulus prædicabat, et tamen non est dubium quod Paulus proponebat eis fidem eo modo et ea auctoritate qua Summus Pontifex potest proponere; ergo ultra illam propositionem necesse est quod unusquisque secundum suum spiritum per Scripturarum præsertim inquisitionem judicet an res ita se habeat sicut proponitur.

514 Est ergo jam insigne testimonium *{Jer.* 31, 33-34), ubi dicitur: *Hoc erit pactum quod jeriam cum domo Isræl post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: . . . Et non docebit ultra vir proximum suum, . . . dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Hoc autem testimonium intelligi de tempore Legis gratiæ constat ex Apostolo *(Heb.* 8, 8-11), ubi expresse illud explicat de Novo Testamento, per quod Antiquum excluditur; ergo in hoc tempore non debemus recurrere ad aliquem qui doceat et determinet nobis ea quæ cognoscenda sunt de Deo, sed ad Legem et Spiritum qui in corde scribitur a Deo.

515 Omitto alia loca quæ minus difficultatis habent, ut quod Deus debeat coli in spiritu *{Joan.* 4, 24): *Eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* et (I *Pet.* 2, 5): *Superædificamini, domus spiritualis,* etc., ubi indicatur ædificium Ecclesiæ non ad visibilem auctoritatem, sed ad spiritualem pertinere.

516 *Et denique* quia fides est de non visis, ergo non debet credere unum caput visibile, nec ab eo determinari et proponi ipsæ res fidei. De quibus argumentis videatur Bagnez in præsenti (IIa-IIæ, q. 1, a. 10). *nn-368·373

©

517 XXXIX. **Respondetur** loca illa Scripturæ non ostendere quod determinatio credendorum et rerum fidei pertinet ad cujuscumque spiritum, sed *vel* loquuntur de privato judicio tractandi res fidei, non de auctoritativo, *vel* loquuntur de Spiritu Dei, qui illuminat in nobis fidem et habitum infundit ac dona Spiritus Sancti, non de eo quod pertinet ad proponendas et determinandas res fidei.

518 Unde illum locum (I *Joan.* 2, 27): *Unctio docet vos de omnibus,* recte intelligit S. Thomas (IIa-IIæ, q. 8, a. 4 ad 1) de instructione quæ fit in nobis a Deo per dona Spiritus Sancti, præsertim per donum intellectus quo ex inhabitatione Spiritus Sancti discernit homo credenda a non credendis; ista autem instructio per donum Spiritus Sancti (quod est commune omnibus habentibus gratiam ut distinguamus ab ea quæ sit secundum inspirationem), sicut et prophetica illuminatio, non fit independenter ab exteriori proponente, quia *fides ex auditu* ut ait Apostolus *(Rom.* 10, 17), et consequenter ab exteriori regulante et determinante ea quæ fidei sunt auctoritative. *508

519 Item D. Thomas super hunc locum (I *Joan.* 2, 27) cum Hugone et Glossa, intelligunt illam particulam: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos,* comparative, non absolute, id est, minus indigetis exteriori doctrina quia unctio seu interior illuminatio docet vos. Clarum est enim quod ille qui docetur intus a Spiritu Sancto, minus indiget exteriori

doctrina, non tamen est omnino independens ab illa, quia *fides ex auditu,* licet Deus possit extraordinarie etiam sine auditu homini tradere res fidei. Unde notavit bene Cajetanus super hunc locum Joannis, quod ordo litteræ et contextus loquitur de hominibus jam scientibus res fidei, qui non habent necesse doceri exterius, sed solum interiori spiritu dirigi ne errent in his quæ didicerunt.

520 XL. Denique Augustinus in illomet loco *(In I Joan.,* tract. 3, super 2, 27)[1], optime explicat Joannem non excludere ibi magisterium exterius non solum auctoritativum sed etiam particulare, sed tantum judicare unde magisterium hoc sortiatur virtutem et effectum suum, scilicet ex Spiritu qui intus operatur. Verba Augustini sunt: "Tu dixisti quia *unctio ipsius docet vos de omnibus*[2]. Utquid talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instruebas? Quid ædificabas? Jam hic videte magnum sacramentum, fratres: sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est". Et infra[3] "magisteria forinsecus, adjutoria quædam sunt, et admonitiones. Cathedram in coelo habet qui corda docet". Sicut ergo ex loco Joannis non convincitur tollenda esse magisteria particularia quibus homines docentur, sic neque magisterium auctoritativum quo judicantur et determinantur ea quæ credenda sunt.

521 Ad illum locum Pauli (II *Cor.* 13, 5): *Vosmetipsos tentate si estis in fide,* in primis Chrysostomus (In II *Cor.* Homil. XXIX)[4] intelligit hic Paulum loqui de fide miraculorum, quæ est una ex gratiis gratis datis, de qua Paulus

1 PL 35, 2004.
2 *Idem.*
3 *Idem.*
4 PG 61, 601.

(I *Cor.* 12, 8-9): *Alii datur sermo scientiæ, alii fides in eodem Spiritu,* fides scilicet agendorum non credendorum, ait Cajetanus *(ibidem).* — Sed etiam si intelligatur Paulus de fide data ad credendum, sicut explicat D. Thomas (II *Cor.* 13, lect. 2), sensus planus est quod homines debent examinare suam conscientiam an recte credant et in vera fide perseverent; sicut etiam examinatur conscientia de operibus bonis an bene unusquisque operetur. Non autem loquitur hic Apostolus de examine et judicio determinativo dubiorum circa fidem. Unde pari modo loquitur Apostolus de examine fidei dicendo (II *Cor.* 13, 5): *Vos tentate si estis in fide,* et de examine operum dicendo: *Ipsi vos probate,* ut ibi advertit D. Thomas. Loquitur ergo de examine quo discutitur conscientia, non quo fidei dubia resolvuntur.

522 XLI. Similiter in alio loco (I *Cor.* 2, 12) ubi dicitur: *Nos autem Spiritum qui ex Deo est accepimus, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis,* loquitur Paulus de ipsis Apostolis quibus dedit Deus Spiritum ad habendam specialem notitiam certam de donis Dei sibi collatis, ut interpretatur Cajetanus (I *Cor.* 2, 12), et favet D. Thomas in expositione hujus loci (Lect. 2), idque postulat ipse ordo litteræ; illa enim particula: *Nos accepimus,* etc. ad ipsos Apostolos dirigi videtur. Sed quidquid sit de hoc, adhuc intelligendo verbum Apostoli de Spiritu communi omnibus fidelibus, dicimus quod sensus est planus, quia ex Spiritu divino seu ordinis divini et supernaturalis (ut distinguitur a spiritu mundi seu ordinis naturalis), cognoscimus ea quæ donata sunt nobis, id est, bona seu objecta supernaturalia quæ proprie Dei sunt.

523 Quis enim dubitat quod res supernaturales et quæ a Deo supernaturaliter donata sunt, non nisi per supernaturalem cognitionem et ordinis divini cognoscimus? Inde

autem inferri non potest quod, ad habendam hanc cognitionem, non requiratur exterior propositio et exterior confirmatio ac determinatio in his quæ pertinent ad objecta fidei et implicite in Scriptura continentur.

524 XLII. Ad illum locum Pauli (I *Cor.* 2, 15) *Spiritualis judicat omnia,* etc. D. Thomas (I *Cor.* 2, lect. 3; IIa-IIæ, q. 45, a. 1), intelligit loqui ibi Paulum de judicio quod habetur de rebus divinis per donum sapientiæ. Ex eo enim quod homo redditur spiritualis per inhabitantem Spiritum Sanctum recte judicat de omnibus pertinentibus ad salutem, neque ipse in hoc judicio habendo judicatur, id est, condemnatur ab aliis, quia rectum est. Hoc autem judicium, quo homines judicant per dona Spiritus Sancti de rebus pertinentibus ad salutem, non excludit judicium Ecclesiæ auctoritativum ad proponendum et determinandum ea quæ tenenda sunt, quia etsi ex Spiritu Sancto in unoquoque nascatur rectitudo judicii in ordine ad se et ad suam salutem, non tamen in unoquoque nascitur omnium credendorum determinatio etiam ad docendum et proponendum alii, præsertim auctoritative; et ideo judicium viri spiritualis non tollit judicium auctoritatis spiritualis.525 *n. 512

525 Chrysostomus super hunc locum (in I *Cor.* homil. VII) [1], illud verbum *judicat omnia* intelligit pro eo quod est: reprehendit, arguit, seu despicit omnia, scilicet quæ in hoc mundo sunt, et hoc quia spiritualis est. Contraponit Apostolus hominem spiritualem homini animali, qui solum attendit ad ea quæ sunt in mundo et in vita animali, et iste non judicat, id est, non arguit omnia: spiritualis vero judicat. Quare ex hoc loco Apostoli nihil habetur contra nos.

1 PG 61, 61.

α

526 XLIII. Ad illud quod dicitur *{Ad.* 17, 11) de Beroen- n. 513
sibus, recte observavit Cajetanus (super *Ada),* illos, dum scrutarentur Scripturas, adhuc non suscepisse fidem, sed, cum aliqua dubitatione circa Pauli prædicationem tenerentur, voluisse inquirere in Scripturis an illa quæ Paulus dicebat conformia essent doctrinæ Scripturarum: in cujus signum, post illa verba *scrutabantur Scripturas,* etc. subdit[1] textus *et multi crediderunt ex eis.* Non ergo adhuc credebant quando scrutabantur Scripturas, sed quasi in disputatione et persuasione circa Pauli doctrinam versabantur, et ideo Paulus solum se habebat ad illos ut prædicator annuntians fidem his qui eam ingorabant, non ut definiens his qui jam susceperunt illam; et ideo licebat ipsis scrutari Scripturas non ut determinarent res fidei, sed ut congruitatem et convenientiam fidei Novi Testamenti cum Veteri Testamento viderent, et inde convincerentur, sicut Christus dixit Judæis *{Joan.* 5, 39): *Scrutamini Scripturas... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

527 XLIV. Denique ad ultimum locum qui affertur *{Jer.* n. 514
31,31-34) et intelligitur ab Apostolo *{Heb.* 8, 8-11) de Novo Testamento, *respondetur* quod, ut advertit optime D. Thomas *{Heb.* 8, lect. 3), et Cajetanus (super idem caput 8, *Heb.),* in illis verbis, non solum agitur de ipso Novo Testamento quod, quantum ad gratiam quam confert, scribitur in corde, sed etiam de effectibus Novi Testamenti quorum unus est quod *{Jer.* 31-34): *Non docebit vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum,* qui effectus plene et quantum ad omnes homines, erit in alia vita in qua ad cognoscendum Deum, unus non docebit alium, sed solus Deus dabit lumen gloriæ et seipsum manifestabit omnibus.

[1] *Act.* 17, 12.

528 In hac enim vita, constat dari doctores et pastores ad docendam doctrinam de Deo, sicut designat Apostolus *(Eph.* 4, 11): *Alios dedit pastores et doctores,* etc. Quoad aliquos autem homines etiam in hac vita, datur iste effectus ut non doceantur nisi a Deo immediate, scilicet Apostoli, qui fuerunt primi fundatores Novi Testamenti et immediate fuerunt a Deo instructi, ut ait S. Thomas (ibidem). Reliqui autem ab ipsis, et ab eorum successoribus, instruuntur vel per se vel per suos ministros.

ARTICULUS II

UTRUM HÆC POTESTAS PROPONENDI ET DETERMINANDI RES FIDEI ALICUI DETERMINATÆ PERSONÆ CONCESSA SIT A CHRISTO DOMINO?

* # *

529 I· Determinavimus in praecedenti articulo debere in Ecclesia esse aliquam potestatem seu auctoritatem ad explicandas, proponendas et determinandas res fidei; ita quod non possunt ista dijudicari et resolvi in proprium cujuscumque spiritum. Nunc restat indagare quænam sit ista regula seu potestas determinativa rerum fidei, et in quo subjecto inveniatur.

* ¥

530 Cum autem agamus in præsenti de regula exteriori et visibili, per quam dirigamur in proponendis rebus fidei, considerare possumus et discurrere circa regulas exteriores, in quibus continetur infallibilis auctoritas fidei.

531 Sunt autem quatuor regulæ exteriores: duæ inanimatæ, duæ animatæ seu vivæ.

532 *Inanimatæ* sunt Sacra Scriptura et Traditiones Apostolicæ; istæ enim non explicant sensum sed explicandum sensum præbent. Et ad Scripturam reducitur quæcumque prophetia facta a diversis hominibus.

533 *Regulæ autem animatæ* sunt Concilium et Papa; id est, aut congregatio seu multitudo prælatorum Ecclesiæ, quæ representative et auctoritative est tota Ecclesia; aut unus singularis prælatus qui habeat potestatem super omnes. Ipsa autem Ecclesia integre accepta includit tam prælatos et subditos, quam supremum caput; et ideo non distinguitur ab his duabus regulis. Et ad istos reducitur auctoritas hominum privatorum, qui per miracula et vitæ sanctitatem aut martyrium comprobant veritatem fidei, et illi testimonium reddunt.

534 Alia autem sunt quæ magis dici possunt *loci theologici,* ex quibus scilicet argumenta promuntur ad confirmandas vel defendendas res fidei, quam regula ipsius fidei, sicut est consensus Patrum, aut Scholasticorum, rationes humanæ, auctoritates philosophorum aut historiarum : ista enim omnia per se non faciunt rem de fide, sed supponunt; nam etiam consensus Patrum, si non sit consensus asserens rem esse de fide, non facit illam de fide; si autem asserat rem esse de fide, ex aliqua regula supponitur de fide esse, et ipsi Patres serviunt ut testes hujus determinationis de fide aut Apostolicæ Traditionis. Quapropter negare ea quæ communiter Patres dicunt erit temerarium, aut etiam fractio precepti ecclesiastici, sed non hæreticum, nisi aliunde habeat esse de fide. Et sic Concilium Tridentinum *(Sess.* IV) | solum per modum precepti decrevit ut contra unanimem consensum Patrum nullus Scripturam audeat interpretari.

535 Igitur in præsenti articulo tractabimus de primis duabus regulis; in sequentibus vero de aliis duabus.

* ¥

| Msi XXXIII, 22sq.

536 II. Ut autem punctus difficultatis præsentis circa regulas inanimatas aperiatur, *supponendum* est dari aliquam Scripturam divinitus inspiratam et Dei auctoritate conscriptam seu dictatam. Quæ veritas apud nullum Christianum probanda est, cum sit primum principium in nostra fide.

537 Apud paganos autem, qui Scripturas non recipiunt, hæc veritas aliunde probatur, scilicet ex consensu tot tantorumque librorum sacrorum a diversis auctoribus edictorum. Quo argumento utitur Augustinus *(De Civit. Dei,* Lib. XVIII, cap. 41) », cum in aliis auctoribus, quando propria sua proferunt, vix consensus in uno inveniatur.

538 *Similiter* etiam ex ipsa ratione prophetiæ, quæ tam frequens est in ipsa Scriptura: prædictio enim futurorum divinæ auctoritatis proprium est; unde dicitur *(Is.* 41, 23): *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Et apud omnes gentes hoc fuit receptissimum illos a quibus oracula futurorum exposcerentur, ut deos existimatos fuisse. In Scriptura autem divina nihil frequentius invenitur quam prophetiæ, et quod vera prophetia sit, ex infallibili impletione comprobatur, juxta quod Dominus in Evangelio *(Luc.* 21, 33) dicit: *Cœlum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt·,* et iterum *(Deut.* 18, 20-22) ponitur signum ad cognoscendum an prophetia sit vera scilicet, *si ita evenerit sicut propheta praedixit.* Illa ergo Scriptura, quæ prædictionem futurorum continet cum infallibili impletione, tamquam divinæ auctoritatis Scriptura habenda est. Unde dixit optime Augustinus *(De Civit. Dei,* Lib. XVIII, cap. 40) ⁝ "Cui narranti melius præterita

| PL 41, 600-601.
' PL 41, 600.

credimus, quam qui etiam futura prædixit, quæ præsentia jam videmus ?"

◆ 4

539 Supposita ergo divina et infallibili Scripturæ auctoritate, relinquimus modo omnes illas quæstiones de libris, qui vere et sine dubio canonici sint, de translationibus Scripturæ et ejus sensibus, et an aliquid in Scriptura corruptum sit, aut depravatum: de his infra tractando de auctoritate Papæ supra declarationem Scripturarum, agendum erit.

540 Illud solum in præsenti inquirimus an in Scriptura Sacra ita contineantur ea quæ auctoritate divina revelata sunt, ut etiam contineatur decisio omnium controversiarum pertinentium ad fidem, ita quod, sicut judex scripto suo definit et determinat controversias in litibus, sic Deus, qui est supremus judex controversiarum de fide, non solum in Scriptura tradat ea quæ nos credimus tamquam res revelatas et a Deo dictas simpliciter, sed ea quæ sunt determinativa quæstionum et dubiorum circa fidem; atque adeo non indigeamus judice humano qui nobis res illas determinet, sed solum indigeamus inspicere ea quæ Scriptura tradit ut a Deo definita; et sic Scriptura sit regula determinandi dubia, et non solum exhibendi res fidei.

541 III. In hac controversia, recentiores quidam hæretici partem affirmativam mordicus defensarunt in colloquio Ratisbonensi, habito anno 1610 [1] eamque variis auctoritatibus et rationibus confirmare conati sunt, quæ parum momenti habent.

1 Disp. III, art. 1.
2 Cf. DTC. a. *Controverse,* III, 1707-1711.

542 Possunt autem hæretici in duplici sensu procedere. **Uno modo,** asserendo quod Scriptura *sola* continet in se judicium et determinationem omnium quæstionum de fide, ita ut ly *sola* excludat et Traditiones Apostolicas seu verbum non scriptum, et definitiones Ecclesiæ. **Alio modo** asserendo quod Scriptura *simul* cum Traditionibus Apostolicis, id est, verbum Dei scriptum et traditum, sufficienter contineant determinationem circa res fidei; et ita hæretici excludant regulam vivam, quæ in definitionibus Ecclesiæ continetur. Et licet ipsi videantur in primo sensu procedere, in quo pejus errant non admittendo Traditiones Ecclesiæ, tamen etiam in secundo sensu, error eorum refellendus est, et argumentis quæ proferunt respondendum.

% % %

543 IV. **ITAQUE CATHOLICA SENTENTIA DOCET ET SECUNDUM FIDEM FATENDUM EST in Ecclesia dari potestatem determinandi et judicandi ea quæ de fide tenenda sunt, ita ut non solum Deus per Scripturas et Traditiones judicet, sed humanae potestati a Deo concessum sit in causis fidei judicare. — Nec** oportet ad hujus quæstionis evidentiam nisi duo advertere.

¥ ¥

544 **Primum** est, quod in omni controversia et quæstione judicanda, et debet dari jus, et debet dari judex.

545 Et quidem *jus* habet se tamquam objectum justitiæ, quia dicit ipsum opus justum, ut ait D. Thomas (IIa-IIæ, q. 57, a. 1 ad 2). Ipsa autem regula et ratio per quam hoc justum constituitur vocatur etiam jus, et si in scriptura ponatur, dicitur lex, quia, ut ait Isidorus capite *Jus.* (c. 2, 3,

D.I.) [1]: "Lex est juris species" et "lex est constitutio scripta". Oportet ergo ad judicandum attendere ad regulam seu constitutionem, et ad scripturam tamquam ad id in quo continetur ratio ejus materiæ, seu objecti determinandi et judicandi. Unde ista regula judicat seu dirimit eam tamquam continens jus et objectum determinandum, non tamquam proponens ipsum jus et sententians, quia hoc pertinet ad *judicem,* qui auctoritative jus illud proponit, et juxta illud de rebus determinat.

546 Unde etiam, si in rebus fidei aliqua controversia dirimenda est, oportet hæc duo concurrere, scilicet jus et judicem, et ipsa Scriptura tamquam regula continens jus juxta quod judicandum est, et conformiter ad ipsum regulare potest, non tamquam persona judicans aut dirimens controversiam.

547 **V. Secundum** est, quod necessitas ponendi judicem animatum humanum, supposito quod Deus per se non revelat nec gubernat, oritur ex duplici principio.

548 *Primum,* quod in Scriptura non omnia sunt ita distincte et determinate tradita et judicata, etiam quoad nos, quod nullam quæstionem aut ambiguitatem habeant, nec depravate ab aliquibus explicari possint, etiamsi Deus in illa judicet; nam si adhuc aliqua restat ambiguitas aut quæstio circa ea quæ Deus judicat in Scriptura, necesse est per alicujus auctoritatem ultimate determinari et resolvi.

549 VI. *Secundum est,* quod sit Ecclesiæ concessa[2] potestas ad obligandum homines ut acceptent ea quæ fidei sunt, et ejus publicationem aut declarationem: nam eo dato quod

[1] RF i, i.
[2] Cf. *Luc.* 10, 16; *Mat.* 18, 17; *Act.* 15, 41.

omnia quæ sunt de fide ex parte objecti et materiæ credendæ sint judicata ac resoluta a Deo in Scripturis, adhuc tamen si inter homines quæstio circa fidem exoritur, necesse erit quod ex declaratione illa et judicio Scripturæ terminetur, et sic proponatur et publicetur. Oportet ergo esse aliquam potestatem quæ illos obliget ad acceptandam declarationem hanc, et determinationem Scripturæ, quæ antea illis non erat manifesta quamdiu dubitabant. Sicut etiam si per supremum principem latæ sint leges continentes ea quæ in aliquo judicio sententianda sunt, tamen necesse est dari aliquam auctoritatem judiciariam, quæ juxta illas leges obliget homines acceptare sententiam et servare quæ judicata fuerint.

550 Hæc igitur est duplex necessitas ut sit regula animata in Ecclesia, seu judex auctoritatem habens judicandi et determinandi res fidei: *tum* ex parte ipsius materiæ seu objectorum fidei, quia in ipsa materia seu rebus contentis in Scriptura, sunt multa obscura et dubia, et sic debet determinari et judicari quid sit de fide tenendum, quid non, quando dubium est de illo; *tum etiam* ex parte personarum, ut scilicet obligari possint ad acceptandum judicium datum de rebus fidei, etiamsi daremus illud non deberi judicari ab homine, sed solum promulgari ut judicatum in Scripturis: hæc enim promulgatio auctoritate facienda est ut homines obligentur a judice promulgante.

* * *

551 VII. Igitur, quod hoc modo fatendum sit dandam esse auctoritatem judicandi res fidei et controversias quæ de ipsa fide sunt, manifestum est ex Scripturis et sanctorum Patrum traditione ac perpetuo Ecclesiæ usu.

* * *

552 Nam, ut præcedenti articulo ostendimus *(Deut.* 17, 8-11), designatur judex ad quem debet recurri quando ambiguum judicium fuerit inter causam et causam, lepram et lepram, et ea quæ continebantur in Scriptura; qui judex dicitur esse sacerdos. Et eadem potestas amplius explicatur (II *Par.* 19, 8-11) ut ibidem ostendimus; et a Christo Domino fuisse designatur *{Mal.* 23, 2-3) cum dicitur: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.*

553 Ubi ex utroque loco colligitur auctoritatem judicandi circa res fidei: *tum* quoad determinationem dubiorum ex parte rei creditæ; *tum* quoad obligationem personarum ut acceptent quæ sibi proponuntur.

554 Nam in *Deuteronomio* (17, 8) expresse ponitur dubietas et ambiguitas circa ipsas res determinandas, scilicet: *Inter lepram et lepram, sanguinem et sanguinem, causam et causam,* quæ omnia (ut supra articulo præcedenti, ponderavimus) pertinebant ad dubia orta ex ipsa Scriptura, siquidem in Scriptura tradita erant multa de lepra et sanguine, etc.; et quod istud ambiguum et difficile judicium per humanos judices deberet terminari, patet ex verbis textus, nam dicitur: *Et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum qtiem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes, ... et ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et jacies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum,* etc. Ubi totum quod ponitur ad dirimendam controversiam, per modum judicii et sententiæ, et secundum formam judicandi describitur.

555 Similiter in illo loco (II *Par.* 19, 8) ponitur dubietas, seu controversia aliqua ex parte rei seu objecti judicandi:

Ubicumque, inquit, *est quæstio, de Lege, de mandato, de justificationibus, de caeremoniis: ostendite eis,* etc. Ubi supponitur in Scriptura non esse omnia determinata et judicata a Deo, alias non exorirentur quæstiones determinanda et ostendendæ per sacerdotes circa ipsam Legem, et circa ea quæ in Lege continentur.

556 Et denique, obligatio imponitur hominibus ut sequantur sententiam sacerdotis *(Deut.* 17, 8-11 et *Mat.* 23, 2-3): *Omnia quæ dixerint facite.* Ergo supponitur in sacerdote auctoritas ad obligandum ut sequantur homines quæ ipsi determinaverint, et quæ dixerint et pronuntiaverint, etiam in materia tangente res Sacræ Scripturæ, ut vidimus. Ergo hæc auctoritas est auctoritas judicandi, et de facto a Deo communicata est hominibus, quamvis ipse eam principaliter habeat.

557 VIII. Probatur etiam hæc assertio catholica ex illo n. 543
(Act. 15), ubi definiens Petrus controversiam de fide, in qua multa conquisitio facta est propter ejus difficultatem, sententialiter pronuntians dixit[1]: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris.* Ergo judicare non solum pertinet ad Spiritum Sanctum, sed etiam ad homines: sed Spiritui Sancto principaliter et per modum supremæ causæ, hominibus participative. — Quod si illi loquebantur dictante Spiritu Sancto, hoc non toHit auctoritatem judicii: tum quia ipsi distinguunt *Spiritui Sancto* et *nobis;* tum quia illud judicium factum est modo ordinario, præmittendo disputationem et inquisitionem, non autem ex sola Dei inspiratione.

558 Item illi ad quos pertinet præcepta ponere circa ea quæ de fide tenenda sunt, habent auctoritatem judicandi, et

[1] *Act.* 15,28.

non solum obligandi; hoc autem convenit hominibus; ergo. — *Minor* patet ex eodem *(Ad.* 15, 41), ubi dicitur de Paulo quod: *Perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias: praecipiens custodire, praecepta Apostolorum, et seniorum.* Erant autem illa præcepta circa ea quæ determinaverunt Apostoli in illo Concilio de non servanda Lege Moysi, de hoc enim ipsi Apostoli dixerunt[1]: *Visum est.. . nihil vobis imponere oneris,* etc. Illud autem onus idem est quod præceptum: hoc enim homines onerantur a superiore. Ergo circa determinationem rerum fidei commissum est hominibus ponere præcepta, et consequenter qui apostolicam auctoritatem habet circa gubernationem Ecclesiæ poterit præcepta eadem ponere. — *Major* vero manifesta est, quia ponere præceptum est actus jurisdictionis et superioris; jurisdictio autem pertinet ad judices seu ad illum qui dicit jus (L. 20, ff. *de Jurisdictione,* II, 1)[2]. Ergo si circa determinationes fidei et declarationes a se factas potuerunt Apostoli ponere præceptum, circa hoc habuerunt auctoritatem judiciariam quæ est auctoritas dicendi jus.

559 *Denique (Luc.* 22, 32) dicitur Petro; *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hæc autem confirmatio facienda erat circa res fidei: in eo enim confirmare debebat fratres in quo non poterat deficere, alias incongrue unum ex altero inferretur[3]. Auctoritas autem confirmandi in fide intelligi non potest sine auctoritate determinandi ea quæ dubia sunt, et proponendi auctoritative id quod est tenendum.

1 *Act.* 15, 28.

2 Corpus Juris Civilis, *Justiniani Digesta,* L.20, ff. *de Jurisdictione,* II, 1.

• Scilicet: confirmatio fratrum ex firmitate fidei Petri.

560 Sic intellexerunt Patres Bernardus *(Epist.* CXC) :[1] *[1]* ‘Oportet, inquit, ad vestrum referri apostolatum pericula quæque emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt... Cui enim alteri dictum est: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (Luc.* 22, 32) ... In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis et Sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores”. Et Hieronymus (Epist. XV, *Ad Damasum Papam)*:[s] “Ideo mihi cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc animæ meæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi”.

¥ *

561 IX. Et ex hoc probatur conclusio ratione deducta ex Sacris Litteris et Patribus.

562 Nam quantumcumque res omnes et controversiæ de fide judicatæ a Deo sint in Scriptura, adhuc, quoad nos, non est ita clarum et evidens hoc judicium Dei quod ab omnibus intelligatur per se, cum videamus tam varie et tam contrarie a multis intelligi Scripturas. Nec etiam ipsæ Scripturæ immunes sunt a depravationibus et corruptis intelligentiis multorum, juxta illud quod jam citavimus *n·387 (II *Pet.* 3, 16): *In quibus difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ubi valde ponderandum est quod dicit: *Sicut et cæteras Scripturas.* Hoc enim dvidenter datur intelligi nullam partem Scripturarum esse liberam a

1 PL 182,1053.
s PL 22, 379.

depravationibus hominum perditorum, et a difficultate intelligendi.

563 Si ergo Deus est judex controversiarum et difficultatum fidei in Scriptura, et ibi in quibuscumque Scripturis continentur multa difficilia intellectu, et depravationibus hominum sunt obnoxiæ, oportet quod de talibus difficultatibus extra Scripturam judicetur et determinetur, ne homines semper fluctuent non habentes determinationem infallibilem quam sequantur in rebus fidei, et in cognoscendis legitimis Scripturis. Sed extra Scripturam Deus non judicat per se immediate ista dubia, ut constat experientia; ergo oportet quod id judicetur et determinetur per aliquam auctoritatem humanam, et consequenter detur regula animata fidei.

564 Et *confirmatur* hoc argumentum. Nam judicium quo Deus judicat in Scripturis et determinat ea quæ in fide controversa sunt, *vel* habetur in Scriptura distincte et clare et seorsum ab ipsis rebus de quibus dubitatur, *vel* non.

565 *Primum* dici non potest, nec enim omnia loca obscura quæ sunt in una parte Scripturæ declarantur in alia, verbi gratia circa illa verba *{Mat.* 26, 26) : *Hoc est corpus meum,* volunt hæretici quod ly *est* ibi figurate accipiatur pro eo quod est significare corpus Christi: catholici autem quod ly *est* sumatur proprie pro eo quod vere est tale. Ubinam in alia parte Scripturæ hoc est judicatum et determinatum a Deo clare et distincte, ita ut tollatur controversia sine aliquo exterius judicante? Et similia sunt sexcenta in Scriptura.

566 *Si autem non,* judicatum quidem est a Deo id quod controvertitur, non tamen nobis omnino apparet, sed involutum est cum aliis quæ obscure traduntur. Ergo oportet quod

eorum explicatio reducatur ad aliquam auctoritatem extra Scripturam determinantem, et resolventem auctoritative talem obscuritatem et controversiam, non autem ad Deum extra loquentem per semetipsum, quia per se immediate non definit nec determinat istas difficultates; ergo mediantibus hominibus.

©

567 X. *Sed objicies* ex D. Thoma (Ia, q. I, a. 9 ad 2) ubi sic ait: "Unde ea, quæ in uno loco Scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis expressius exponuntur". Ergo plane dictis angelicus doctor adversatur, asserens omnia expresse in Scriptura contineri.

568 *Respondetur* D. Thomam non dicere absolute quod ea quæ traduntur in uno loco Scripturæ in alio expressius exponuntur, sed quod ea quæ traduntur sub metaphoris, id est, sub figuris et significationibus diversarum rerum, quæ non pertinent ad litteralem sensum, sed ad spiritualem seu symbolicum, ut ipse tradit eadem quæstione (a. 10 ad 1) inquiens quod "nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat". Quod quidem verissimum est. Non tamen negat D. Thomas quod ea quæ litterali sensu expresse traduntur, secundum quod ly *expresse* distinguitur contra symbolice seu figurate, non habeant aliquam difficultatem aut depravatam intelligentiam, contra quam necesse sit auctoritatem alicujus personæ judicantis et determinantis quod tenendum est constituere.

Θ

569 Ex dictis etiam convincitur non sufficere ad judicandum de Scripturæ difficultatibus circa res fidei ipsas Traditiones

non scriptas. Nam istæ Traditiones, cum non sint scriptæ, servantur apud aliquam regulam vivam, scilicet in successione episcoporum per quos ad nos deveniunt, præsertim Romanæ Ecclesiæ, ut ex Irenæo, Tertulliano, et Augustino, superiori ♣rticulo ostensum est, in illis locis in quibus agunt *n. 409~412
de fide invenienda apud Ecclesias Apostolicas per episcoporum successiones, et consequenter admitti non possunt Traditiones nisi admittatur regula animata fidei. Et deinde, quia oportet discernere veras traditiones a falsis, nam et Christus Dominus traditiones Judæorum damnat *(Mat.* 15. 2-9; et *Mare.* 7, 5-6). Oportet ergo ab aliquo id discerni et judicari, non autem a Scriptura aut ab aliis Traditionibus: de hoc enim idem dubium esset, et sic procederetur in infinitum; ergo ab aliquo homine habente ad id auctoritatem.

¥ ¥

570 XI. Denique ista conclusio constat ex communi Ecclesiæ ♣su jam in Apostolis usque ad nos continuato. Nam *n-551
quotiescumque exortæ sunt hæreses et controversiæ circa fidem, per Conciliorum definitiones et Pontificum confirmationes judicatæ et determinatæ sunt. De quibus agendum erit ♣nfra cum ostenderimus hanc auctoritatem esse in *art-IV
Romano Pontifice. Sufficit interim duo aut tria ex antiquis testimonia ad hoc afferre.

571 Primo enim in Nicæna Synodo, tractata est controversia fidei de consubstantialitate Filii Dei contra Arium, atque ibi per modum constitutionis et sententiæ determinata est, ut ex confirmatione Beati Sylvestri[1] plane colligitur; licet Athanasius (Epist. *de Synodis,* 5)[2] advertat cum de fide

[1] Cf. Msi II, 720; Hef.-L., I, 61; 629 sq.
[2] Msi II, 922; PG 26, 688; Hef.-L., I, 3.

ageret, Concilium non dixisse *visum est,* sicut in aliis decretis, sed ad istum modum credit catholica Ecclesia, ut ostenderet eam non esse novam fidem sed apostolicam. Cæterum D. Sylvester in Concilio Romæ coacto pro confirmatione Nicænæ Synodi per modum statuti et definitionis Synodum processisse declarat, et ipse etiam auctoritative confirmans, sic dixit[1]: "Quidquid in Nicæa constitutum est, ad robur sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, a sanctis sacerdotibus CCCXVIII, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est. . . anathematizamus". Ecce quomodo per modum judicii res fidei determinatæ sunt: tum per modum statuti, definitionis et confirmationis eas tradendo; tum per modum obligationis respectu fidelium ut eas acceptarent. Quod etiam testatur Felix Papa IV *(Epist.* I)[2]. Expressius Socrates *(Hist, ecclesiastica,* Lib. II, cap. 17)[3]: "Ecclesiasticus, inquit, canon vetat ne decreta absque sententia episcopi Romani ecclesiis sanciantur".

572 Similiter Marcianus apud Chalcedonensem Synodum *(Edictum Valentiniani et Marciani)*[4] et (L.4, C, *de summa Trinitate et fide catholica,* I, 1)[5] prohibens ne de fide publice liceret disputare rationem reddit: "Nam injuriam facit judicio Romanæ Synodi, si quis semel judicata et recte disposita revolvere, et publice disputare contendit". Ubi manifeste agnoscit imperator Synodum determinationes fidei judicatas tradere, et per modum judicii et determinationis auctoritativæ.

1 Msi II, 720.
2 Msi VIII, 658-659.
3 PG 67, 217.
4 Msi VII, 475.
5 Corpus Juris Civilis, *Codex Justinianus,* L. 4, C., *de summa Trinitate et fide catholica,* 1,1.

573 Et Concilio Aquileiensi si legitur epistola Gratiani Augusti[1] qui ad episcopos referens judicium in dubiis circa fidem: "Ut a quibus, inquit, proficiscuntur institutæ doctrinæ ab eisdem discordiæ eruditionis repugnantia solveretur".

574 Et S. Augustino articulo præcedenti citato *(Contra Cresc.,* Lib. I, cap. 33)[2]: "Quisquis, inquit, falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat". *n. 443

575 Denique videri potest Vincentius Lirinensis in aureo illo opusculo adversus haereses et profanas vocum novitates *(Commonitorium,* cap. 2)[3] tum in principio, tum circa finem: "Hic forsitan, inquit, requirat aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiastics intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur".

Θ

576 XII. Adhuc tamen hæretici respondent duplicem esse fidem, scilicet salvificam et historicam. Et *salvifica* pertinet ad dogmata quæ sunt de necessitate salutis, *historica* vero, quæ continet id quod ad historiam pertinet; et fatentur aliquid quod pertineat ad fidem historicam posse peti ex aliquo testimonio extra Scripturam, scilicet ab Ecclesia, fidem vero salvificam non ita. Sicut verbi gratia, quod hic liber sit vel non sit canonicus, hoc dicunt pertinet ad historicam, et ita determinari potest ab Ecclesia.

1 Msi III, 601; Hef.-L. II, 49-53.
2 PL 43, 466.
2 PL 50, 640.

577 Cæterum hæc solutio ex omni parte repugnat. —*Primo,* quia ex his quæ allata sunt, constat Ecclesiam judicasse et definisse ea quæ vere sunt dogmata, sicut in Concilio Apostolorum *{Aci.* 15) definitum est non obligare Legem Moysi; in Concilio Nicæno, Filium Dei esse verum Deum, etc. Et denique Petrus non solum dixit[1] quod in Scriptura est aliquid difficile intellectu quoad historiam, aut quod cæteræ Scripturæ solum quoad historiam depraventur, sed absolute, et quoad omnia, imo ipsa dogmata et mysteria difficiliora sunt ad intelligendum quam historiæ. Et circa dogmata fidei plures sunt controversiæ, unde magis ex hac parte judex requiritur qui eas determinet.

578 *Secundo,* quando Ecclesia proponit et determinat illam fidem historicam, verbi gratia, hunc librum esse canonicum, *vel* id determinat tamquam de fide divina et infallibili, *vel* non. *Si primum,* ergo est necessarium ei credere, ita ut qui non credat sit hæreticus, utpote non recipiens aliquid quod est de fide divina, et sic jam pertinet ad fidem salvificam; si *secundum,* ergo illa determinatio Ecclesiæ non est infallibilis, neque obligat ad recipiendum infallibiliter librum illum pro canonico, et consequenter neque ea quæ in illo continentur infallibiliter pro canonicis haberi possint.

579 *Tertio,* fides historica est ejusdem auctoritatis atque dogmatica seu salvifica: omnes enim historiæ Scripturæ infallibilis sunt acutoritatis, et ad slutem pertinet eis credere. Nam ut dicit Apostolus *(Rom.* 15, 4) : *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt,* et iterum: (II *Tim.* 3, 16): *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est,* etc.) et Augustinus *(De vera relig.,* cap. 50) [2] "Distinguimus, inquit,... quæ

[1] Cf. 2 *Pet.* 3, 16.
[2] PL 34,166.

sit stabilis fides, sive historica et temporalis, sive spiritualis et æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit". Ergo historica fides eodem modo sicut et dogmatica habenda est.

*

SOLVUNTUR ARGUMENTA

580 XIII. Pro parte haereticorum **argui** potest tum auctoritate, tum ratione. Auctoritates ipsi multas proferunt ex Scriptura et Patribus, quæ tamen magna ex parte solum deserviunt ad ostendendum Scripturam continere ea quæ credenda sunt, et ab ejus infallibili auctoritate accipiendam esse regulam fidei, juxta ipsam judicandum esse de his quæ dubitationem et controversiam habent.

581 Solum ergo illas auctoritates adducam, quæ ipsi Scripturæ, seu sermoni, aliquem modum judicandi videntur tribuere. *(Joan.* 12, 48): *Qui spernit me·, et non accipit verba mea: habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.*

582 Item *(Joan.* 5, 34-36) : *Ego testimonium ab homine non accipio: sed haec dico ut vos salvi sitis. . . Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa. . . testimonium perhibent de me.* Et infra subdit: *(Joan.* 5, 39): *Scrutamini Scripturas,. . . et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ex quo loco arguitur: testimonium circa fidem Christi, et quæ ad ipsum pertinent, ab homine non est recipiendum etiamsi ille homo Joannes sit; sed testimonium est accipiendum ab operibus Christi et a Scripturis. Ergo nullus homo judicare potest et testimonium dare, sed solum in Scripturis datum publicare.

583 Similiter *{Joan.* 7, 17) dicitur: *Si quis voluerit voluntatem ejus jacere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Ergo non est necesse recurrere ad aliquam aliam auctoritatem humanam ad hoc cognoscendum.

584 Item afferri potest locus ille *{Is.* 8, 19-20) : *Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis? Ad legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Ubi ad litteram agitur de inquisitione veritatis et credendorum, quam populus requirere debet: remittuntur autem ad Legem et ad testimonium. Ergo ibi continetur tamquam judicatum et decisum quidquid populus quærere potest.

585 Denique (II *Pet.* 1, 19) dicitur: *Et habemus jirmiorem propheticum sermonem: cui benejacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco·,* et subditur (II *Pet.* 1, 21): *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia,* etc. Ergo in sermone Scripturæ nulla humana voluntas attendenda est, sed attendendo ad ipsum sermonem propheticum invenire possumus omnem firmitatem.

o

586 XIV. **Respondetur** loca illa Scripturæ solum probare quod Scriptura habet judicare et testimonium dare in suo genere, scilicet tamquam regula inanimata et continens sensum fidei, non ut explicans: sicut etiam lex principis dicitur judicare per modum juris, non per modum judicis. Itaque juxta id quod continetur in Scriptura judicandum est, non tamen ipsa judicat.587

587 Et hoc modo intelligitur ille locus* *{Joan.* 12, 48): *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum,* eo modo quo lex *n 581

judicat suum transgressorem, non eo modo quo judex. Nec ibi agitur de judicio determinationis circa res fidei, sed de judicio condemnationis in transgressores seu contemptores legis et sermonum Dei.

588 Similiter in illo loco *(Joan.* 5, 34, 36, 39), ubi testimonium de Christo non refertur ad aliquem hominem, sed ad Scripturas, et ad opera quæ ipse faciebat. *Respondetur* ibi loqui de testimonio humano et in auctoritate humana fundato; nec Joannis testimonium rejecit, cum de illo scriptum sit *(Joan.* 1, 7) *Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine,* sed esse aliud testimonium altius indicatur, scilicet ipsum Deum, qui per opera manifestabatur et in Scripturis manifestatus erat. Cum autem ad scrutandas Scripturas eos mittit, non ex hoc ostenditur Scripturam esse regulam per modum judicis, sed quasi continens in se testimonium divinum quod nemo negat ibi inveniri potest; sed tamen ut inveniatur quando obscurum est aut controversum, indiget aliquo extrinseco demonstrante et determinante auctoritative propter diversos sensus, qui adhiberi possunt, et propter obscuritatem illius. ♦«·582

589 Unde Chrysostomus explicans hunc locum (In *Joan.,* hom. XLI, cap. 1) "Non, inquit, ad lectionem simplicem Scripturarum, sed ad scrutationem exquisitam eos mittebat, quia ea quæ in Scripturis de eo dicebantur, desuper obumbrabantur, neque in superficie exprimebantur, sed velut quidam thesaurus recondebatur".590

590 Ad illum locum* *(Joan.* 7, 17) : *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina,* etc., *respondetur* ibi non explicari quis sit judex doctrinæ, sed quæ sit bona dispositio ad cognoscendam veram doctrinam, scilicet facere volun- *n·553

1 PG 59, 235.

tatem Dei et non peccare: peccans enim non ita est aptus ad intelligendum, quæ est explicatio Chrysostomi *(In Joan.* horn. XLIX, cap. 1) [1], vel juxta Augustinum: "Facere voluntatem Dei est credere in eum, cognoscere autem doctrinam est intelligere, ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas. Et hoc est quod dicit, qui *jecerit voluntatem cognoscet,* etc." *(In Joan. Evang.,* tract. XXIX, cap. 7)[2].

591 XV. Ad locum illum *(Is.* 8, 19-20) patet responsio ex ipso textu. Dicit enim recurrendum esse ad legem et testimonium Scripturæ, non vero ad incantatores et pythones. Quis hoc neget. Cæterum hinc non probatur nisi quod Scriptura sit vera regula continens in se testimonium et veritatem, quæ requirenda' est tamquam lex et jus, non tamen Scripturam esse judicem obscuritatis et difficultatis circa intelligentiam ejus: sed hoc pertinere ad aliquam regulam vivam. Unde et præmiserat ante propheta *(Is.* 8, 16): *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis,* hoc est, in Apostolis et apostolocis viris, ut exponit Hieronymus (In *Isaiam* Lib. III, super 8, 16) [3]. Ad Legem ergo recurrendum est, sed ut signatur in discipulis seu Apostolis, qui nobis ejus obscuritatem explicant. In cujus signum Dominus *(Luc.* 24, 45): *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Quod certe necessarium non esset si ipsa Scriptura in se haberet judicatum a Deo determinate et distincte quidquid controversiæ aut difficultatis in illa est circa dogmata fidei. »

592 Denique eodem modo *respondetur* ad ultimum locum n-585 (II *Pet.* 1, 19), quod debemus attendere ad propheticum

1 PG 59, 275.
2 PL 35, 1630.
3 PL 24,120.

sermonem, non quomodocumque, sed ut propositum et explicatum ab Ecclesia. Unde nec humana voluntate allata est prophetia, sed divina; quia *et* inspiratur divinitus, *et* proponitur seu determinatur ejus difficultas ab Ecclesia auctoritate accepta a Deo, non ab homine.

¥ ¥

593 XVI. **Secundo arguunt** auctoritatibus variis sanctorum Patrum, quarum pleræque solum ostendunt Scripturam Sacram habere infallibilem auctoritatem, et esse normam et regulam per quam omnia quæ pertinent ad fidem et bonos mores, determinanda et declaranda sunt.

594 Sed quia de hoc non agimus in præsenti, sed solum de modo habendi hanc auctoritatem an per modum judicantis, an solum per modum indicantis et exhibentis res creditas, ideo illas auctoritates omitto, et solum illas afferam quæ judicium circa Scripturas hominibus negant, et in ipsis Scripturis contineri significant.

595 Et in primis Augustinus *(Confess.,* Lib. XIII, cap. 23) [1] loquens de Scripturis quas nomine firmamenti intelligit, et illud Apostoli exponens (I *Cor. 2,* 15): *Spiritualis omnia judicat,* sic inquit: "Spirituales ergo, sive qui præsunt, sive qui obtemperant, spiritualiter judicant, non de cognitionibus spiritualibus, quæ lucent in firmamento (non enim oportet de tam sublimi auctoritate judicare); neque de ipso Libro tuo, etiamsi quid ibi non lucet; quoniam submittimus ei nostrum intellectum, etc."; et infra[2]: "Homo licet jam spiritualis . . . factor tamen debet esse legis non judex". — Et idem Augustinus *(De Bapt. contra Donatistas,* Lib. II, cap.

[1] PL 43, 132.
[1] *Idem.*

C

6) [1] "Afferamus divinam stateram de Scripturis Sacris. .. et in illa quid sit gravius appendamus; et a Domino appensa recognoscamus". Ecce quomodo judicium quod ex Scripturis profertur a Deo esse factum Augustinus fatetur. — Et denique Christum esse judicem qui controversias istas dirimit, fatetur idem Augustinus *(De Nupt. et Concupisc.,* Lib. II, cap. 33)[2]. "Haec, inquit, controversia judicem requirit. Judicet ergo Christus. . . judicet cum illo et Apostolus, quia et in Apostolo ipse loquitur Christus". Ergo Christus in his quæ dicta sunt ab Apostolis, quæ utique ad Scripturam pertinent, vicem judicis agit.

596 Item S. Basilius (Epist. 189 *Ad Eustathium)* [3] "Scriptura divinitus inspirata inter nos arbiter est, et judex, et apud quos inveniantur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia".

597 Et S. Isidorus, ut refertur (c. 101, C. XI, q. 3) [4]; "Is, qui præest, si præter voluntatem Dei, vel præter quod in Sacris Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat tamquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur".

598 S. Cyrillus Alexandrinus *(Contra Julian. Imp.,* Lib. VII)[5]: "Sufficit quidem divina Scriptura ad faciendum eos, qui in illa educati sunt sapientes, indigemusque ad hoc prorsus nihil externis magistris".

599 Denique Chrysostomus *(In Joan.* horn. XLV, cap. 3)[6] ad illa verba *(Joan.* 6, 44): *Nemo potest venire ad me nisi*

1 PL 32, 859.
2 PL 44, 470.
3 PG 32, 687.
4 RF I, 672.
5 PG 76, 851.
6 PG 59, 254.

Pater, qui misit me, traxerit eum, inquit: "Vides fidei dignitatem quod non ab hominibus neque per hominem sed per proprium Deum ea imbuendi sunt". Et clarius *(In Joan.,* hom. XLI) [1]: "Quidquid quæritur ad salutem totum jam adimpletum est in Scripturis". Igitur, juxta Chrysostomum, neque ut imbuamur fide, neque ut quaeramus aliquid ad
I salutem, ab hominibus vel per homines aliquid debemus accipere, sed totum habemus in Scripturis. Omitto plura alia quæ solum probant Scripturam Sacram plene continere totam fidem, nec debere nos ab ea discedere, quæ non ita urgent nec ad propositam difficultatem pertinent.

Q

600 XVII. Ad hoc argumentum fere eodem modo **respondetur** sicut ad præcedens. *Et ad primam* auctoritatem Augustini[2], dicitur quod aliud est judicare de auctoritate Sacræ Scripturæ, aliud de obscuritate vel difficultate, verbi gratia, an sit vel non sit liber Sacræ Scripturæ vel de difficultate eorum quæ Scriptura continet. Augustinus ergo negat quemquam judicare per se de ipsa auctoritate Scripturæ, quæ pro Scriptura recepta est: de hoc enim quis dubitet. De obscuritate tamen Scripturæ, potest judicari: quod nec ipse Augustinus negat, cum (Contra Cresc., Lib. I, cap. 33) [3] inquit: "Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consultat". n. 595

601 Ad aliam auctoritatem *(De Bapt. contra Donatistas,* Lib. II, cap. 6) [4], *respondetur* verum esse quod ea quæ appensa sunt in Scripturis, quasi in statera, a Domino n. 595
i

---

[1] PG 59, 235.
[2] *Confess.* Lib. XIII, cap. 23, PL 32, 859.
[3] PL 43, 466.
[4] PL 43, 132.

appensa sunt, cum ab ipso sint inspirata. Cæterum, ex hoc non negat Augustinus quod etiam multa sint extra Scripturam quæ ad fidem pertinere possunt per Traditiones non scriptas, et quod ea quæ appensa sunt in Scriptura, etiam ab homine auctoritatem habente a Deo, appendi possint et judicari quantum ad obscuritatem et controversiam quam habeant, etsi non quoad primariam auctoritatem. Utrumque enim dicit Augustinus *et* quod appendamus in stateris quantum ad homines, *et* quod appensa a Deo recognoscamus quantum ad auctoritatem ipsius Scripturæ, sed id postquam appensum fuerit et propositum a judice humano. — In alio autem loco *(De Nupt. et Concupisc.,* Lib. II, cap. 33) [1] Augustinus dicit Christum et Apostolum judicare, non tamen negat hominem etiam judicare tamquam vicarium Christi et successorem Apostoli: quando enim Ecclesia judicat, etiam judicat Christus, hic principaliter, illa ministerialiter et participative. Sicut judicante vicario regis, judicat rex. *n 595

602 XVIII. Ad locum Basilii (Epist. 189 *ad Eustathium*) [2] *respondetur* quod cum dicit quod Scriptura arbiter est et judex, intelligitur judicare per modum juris et legis, non per modum judicantis et sententiantis, quod scilicet juxta ea quæ continet Scriptura judicandum est. Nec tamen ex hoc negat Traditiones non scriptas, quia etsi Scriptura sit arbiter et judex, non tamen sola, nec sola id facit, sed tamquam regula rerum fidei in suo genere. *n 596

603 XIX. Ad locum ex Isidoro (c. 101, C. XI, q. 3) [3] *respondetur* videri sensum esse eumdem quem Apostolus significat *(Gal.* 1, 8): *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evan-* *597

1 PL 44,470.
2 PG 32, 687.
3 RF I, 672.

gelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit, ubi ly *præter,* ut optime explicat D. Thomas (in *Gal.* lect. 2, cap. 1), idem est ac si diceret omnino alienum ab eo quod evangelizavimus: ita quod nec implicite nec explicite contineatur in Sacra Scriptura. Si autem implicite continetur, etsi non explicite, bene potest evangelizari seu dici, neque hoc est addere fidei, sed explicare fidem. Sicut multa in variis Conciliis de fide determinata sunt, quæ ante non erant explicite credita, et in ipso symbolo fidei aliqua sunt addita, quæ ante non habebantur, ut patet intuenti symbolum Apostolorum; et illud [symbolum] quod in Nicæna Synodo factum est, in secunda Synodo pro de fide datum est et receptum. Et in symbolo septimæ Synodi [2], ubi addita est illa particula "Filioque procedit"; et similiter in symbolo seu expositione Agathonis[1] Papæ ad imperatorem Constantinopolitanum. Quod autem Græci contendunt non posse in symbolo fieri aliquod additamentum, etiam in verbis, per modum majoris explicationis [3] et dilucidationis, falsum esse, infra ostendemus[4] tractando de potestate Papæ supra definitionem fidei et ordinationem symboli, et late disputatum est in Concilio Florentino[5] a cardinali Juliano contra Marcum Ephesinum.[6]

604 XX. Isidorus[7] ergo similiter intelligitur. Qui enim dicit aliquid præter quod continetur in Sacris Scripturis evidenter, evidentia scilicet explicita vel implicita (neque etiam id quod implicite continetur evidenter, deduci potest

1 Msi XIII, 375; II, 667, cf. Joan, a Sto Thoma, *Curs. Theol.,* IV (Solesm.), p. 275-276.
2 Msi XJ, 286-315.
3 Cf. DTC. a. *Filioque,* V, 2322-2324.
4 Non tractavit J. a Sto Thomas de hac quæstione.
5 Msi XXXI, 690-691.
6 Cf. DTC. a. *Schisme,* XIV, col. 1372.
7 Cf. c. 101, C. XI, q. 3, RF. I, 672.

per consequentiam ex Sacris Litteris) est falsus testis. Cæterum, ut id quod implicite se habet proponatur et determinetur infallibiliter, necesse est dari judicem et auctoritatem extra Scripturam qui id faciat.

605 Ad locum Cyrilli *(Contra Julian. Imp.* Lib. VII) *respondetur* nihil obstare cum dicit Scripturam esse sufficientem ad faciendum sapientes eos qui in illa educati sunt. Sufficiens enim est ad hoc Scriptura in suo genere, scilicet tamquam continens in se totius sapientiæ sensum, non tamen ut explicans obscuritatem suam, aut determinans legitimam intelligentiam de suis difficultatibus: id enim relinquitur auctoritati regulæ vivæ. Cum vero addit Cyrillus nos non indigere ad hoc magistris externis, non excludit magisterium externum quod nobis Scripturam explanet et obscuritatem tollat, sicut diximus ex Augustino articulo præcedenti alias quid ipse Cyrillus tam multa ex Scripturis explanavit et docuit? Sed excludit magisterium externum, id est, extra Ecclesiam, quod propriam aut novam affert doctrinam seu sectam, quale fuit magisterium philosophorum, qui tot sectas induxerunt, et similiter hæreticorum. *η·598 *n' 520

606 Ad locum Chrysostomi *(In Joan.* horn. XLV, cap. 3)[1] facile patet *responsio* quod fides non est ab homine, neque per hominem, sed per Deum[3]: tum quoad ejus revelationem et infusionem habitus, tum quoad inspirationem qua dictavit Scripturas, tum quoad auctoritatem quam dedit hominibus eas infallibiliter explicandi. Hæc omnia in fide non per hominem, sed per proprium Deum habemus, et in his ab ipsa imbuimur. — Quod vero addit Chrysostomus *(In Joan.* *"·599

1 PG 76, 841.
2 PG 59, 254.
3 Cf. II"·-II", q. 6, a. 1.

hom. XLI) [1], totum quod quæritur ad salutem esse adimpletum in Scripturis, verum est ibi esse adimpletum et contentum, sed non omnino explicatum, quia implicite multa sunt ibi adimpleta et contenta.

607 Unde *et* juvari debemus a Traditionibus Apostolicis, quæ sunt verbum Dei non scriptum, *et* ab Ecclesia eas conservante et juxta eas determinate, nam ut habemur in anathematismis VII Synodi[2]: "Si quis omnem traditionem ecclesiasticam sive scriptam sive non scriptam irritam facit, anathema sit"[3].

* ¥

608 XXL **Tertio denique arguitur ex ratione.** Nam tunc requiritur judex ad proferendam sententiam quando lex ipsa continens jus juxta quod judicetur et sententia proferatur, non continet distincte et determinate ea quæ judicari debent; sed Scriptura plenissime continet omnia quæ credenda sunt ad salutem; ergo ad ipsam pertinet regulare per modum regulæ proferentis sententiam id quod tenendum est.

609 *Major* probatur, nam quando lex lata a principe continet in se quod determinate faciendum est in aliquo casu, et quæ sententia ferenda est, judex inferior judicans solum est minister legis; unde neque in tali lege dispensare potest, sicut docent theologi cum S. Thoma (IIa-IIæ, q. 67, a. 3). Et sumitur ex ipso Jure (c. 3, D. IV)[3] et (c. 70, C.XI, q.3) [4]; et videri potest Suarez *(De legibus,* Lib. V, cap. 11). Ergo si in Scriptura continetur distincte quid tenendum sit de fide,

1 PG 59, 235.
2 Msi XIII, 415.
3 RF I, 5-6.
4 RF I, 663.

ille qui id explicat et tradit, non tamquam judex sed ut minister superioris judicis se habet.

610 *Minor* probatur, nam aperte dicitur *{Joan.* 20, 30): *Multa quidem, et alia signa Jecit Jesus... quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credatis. .. et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ex quibus verbis desumitur argumentum: quæcumque necessaria sunt ad credendum de Christo in Scriptura, sufficienter continentur, ea vero quæ omissa sunt et possent in Scriptura poni, non fuerunt necessaria ad credendum: alias ponerentur etiam in Scriptura, siquidem in ea posita sunt ea quæ necessaria sunt ad credendum. Ergo quæcumque pertinent ad credendum plenissime in Scriptura continentur.

611 Item quia, ut dicitur (II *Tim.* 3, 16): *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei.* Ergo in Scriptura plenissime continetur quidquid necessarium et utile est, sive ad doctrinam, sive ad eruditionem credendorum; alias non haberet utilitatem sufficientem ut per ejus doctrinam perfectus fieret homo: non enim perfectus esse potest nisi per omnia illa quæ ad credendum necessaria sunt.

612 XXII. Denique, quia ubi designatur in Scriptura officium declarandi et determinandi ea quæ dubia sunt, ut *Deuteronomii* (17, 10), apponitur limitatio, ut sequamur ea quæ docuerint nos sacerdotes *juxta legem.* Ergo sacerdotibus solum tribuitur facultas docendi et publicandi ea quæ sunt in Lege, non vero judicandi et definiendi res de fide absolute. Unde et Apostoli vocantur solum ministri sermonis, non judices *{Luc.* 1, 2): *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis,* et (I *Cor.*

3, 4-5): *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis.* Prohibentur etiam vocari magistri *(Mat.* 23, 10) : *Nec vocemini magistri; unus enim est magister vester, Christus.* Ergo multo minus vocari debent judices doctrinæ fidei. Ergo in ordine ad ea quæ fidei sunt et quæ pertinent ad Scripturas, solum homines habent ministerium non vero judicium.

613 XXIII. *Confirmatur* hoc argumentum. Nam Deus est supremus judex controversiarum fidei. Ergo debet explicare ea quæ judicat per aliquod verbum vel Scripturam, sed non per verbum hominum et humana industria tractatum ac disputatum, quia totum hoc est fallibile. Ergo per verbum inspiratum a Deo; Deus autem non profert verbum inspiratum per Papam aut episcopos, sed per Scripturam aut prophetiam; ergo ad Scripturam pertinet continere judicium et determinationem Dei, non ad Papam.

Θ

614 XXIV. **Respondetur** primo *ad majorem* quod quando lex continet aliquid distincte et determinate juxta quod judicetur, adhuc indiget auctoritate judicis: *tum* ad applicandam legem casui occurrenti ut juxta illum proferat sententiam, quia, ut dicit Augustinus *(De vera relig.,* cap. 31) [1] "Judicibus non licebit de ipsis legibus judicare, sed secundum ipsas"; *tum* ad obligandum homines ut talem sententiam et decretum juxta legem factum acceptent; *tum* denique, quia aliquando in aliquo singulari casu potest lex reddi iniqua si observetur, et tunc judicandum est secundum æquitatem; unde non est pure minister legis auctoritas judicantis, cum non semper secundum litteram, sed se- ℟. 609

1 PL 34,148.

eundum mentem legislatoris judicet. De quo videatur S. Thomas (IIa-IIæ, q. 60, a. 5 ad 2).

515 *Ad minorem* vero argumenti, *respondetur* Scripturam multas obscuritates et difficultates ad intelligendum continere, et posse etiam patere depravationibus multorum, prout ex ipsa Scriptura probatum est; et quando hoc ex ipsa experientia non ita esset notum, constat non caruisse obscuritate Scripturam, siquidem ut ab Apostolis intelligeretur (*Luc.* 24, 45): *Aperuit eis sensum Christus Dominus.* — Et ideo dixit Justinus martyr *(Dial. cum Tryphone)* [1] "Divina oracula non sunt cuivis perspicua, sed solis quibus intellectum dat Deus, et Christus ejus". Et Clemens Alexandrinus *(Stromata,* Lib. I, cap. 9)[1] "Neque prophetæ, inquit, neque Salvator sic locuti sunt divina mysteria ut ea facile capi possent a quibuslibet." Videatur Ambrosius (In *Ps.* 118, serm. VIII, super vers. 124: *Justificationes tuas doce me*)[3]; Hieronymus (Epist. LVIII *ad Paulinum*)[4]; Augustinus *(De doctrina Christiana,* Lib. II, cap. 6[5], et *De vera religione,* cap. 7)[6]. n. 610 n. 562sq.

616 XXV. Et ad probationem [minoris] *respondetur,* quod ea quæ scripta sunt sufficiunt ad hoc ut credamus, scripta sunt tamen cum mysterio et obscuritate ac profunditate sermonis, prout decebat eloquia Dei. Unde necesse est, *et* quod recognoscantur tamquam legitima scripta et a Deo derivata, *et* quod ejus obscuritas ac difficultas, si qua ponitur *n-610

1 Ipsa verba a Joanne nostro citata non invenimus; idem autem sensus passim reperitur. Sic: nn. 7, 52, 65, 68, 90,114,119, PG 6, 491, 590, 626, 635, 690, 739, 751.
3 PG 8, 741.
' PL 15,1389.
4 PL 22, 585.
5 PL 34, 38-39.
• PL 34, 128.

in controversia, determinetur. Et ita stat bene Scripturam plene continere ea quæ necessaria sunt ad credendum, non tamen ita ab omni difficultate et controversia libera, ut nullo determinante et judicante indigeant.

617 Et similiter licet : *Omnis Scriptura divinitus inspirata* *n. 611
utilis est ad docendum .. .ut perfectus sit homo Dei, tamen hoc ipso quod utilis est ad arguendum, indicatur posse admittere controversias et difficultates et contrarias intelligentias, quæ argui ac judicari debent, juxta quod de episcopo dicit Apostolus *(Tit.* 1, 9) quod: *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Supponitur ergo Scripturam esse utilem, quia in se habet omnia illa,[1] ex modo tamen habendi non repugnat aliquas circa ipsam controversias esse posse, quæ judice determinante indigeant.

618 Quod vero ponitur limitatio ut sequamur sententiam *il'
sacerdotis, si judicaverit *juxta Legem,* hoc solum ostendit quod ipsa Lex continet per modum juris id quod definiendum est et quasi implicite, ita quod indigeat aliquo auctoritative declarante, non tamen quod per modum judicis se habet, aut ut explicite judicatum continens id quod difficile est et controversum: alias non juxta ipsam judicandum esset sed ipsa judicium proferret aut explicaret. Similiter etiam ly *juxta Legem* non excludit ea quæ extra Scripturam Legis sunt, si ipsi Legi sunt conformia, sed quæ Legi sunt contraria. Et ita bene potest judicari de aliqua controversia fidei juxta ea quæ in Traditione Apostolica non scripta continentur, sicut de facto definitum est in septima Synodo generali[2] circa articulum de adoratione imaginum, licet id non sit scriptum in Sacra Scriptura. Unde necesse est esse judicem

[1] Quæ describuntur a II *Tim.* 3,16.
[2] Cf. Msi XIII, 378 sq.

per modum regulæ vivæ, quando quidem etiam ex his quæ non sunt scripta determinari possunt quæstiones fidei.

619 Quod vero Apostoli vocentur ministri *(Luc.* 1, 2) sermonis, et prohibeantur vocari magistri (I *Cor.* 3, 5), nihil obstat: nam non est dubium quin sint ministri Christi, sed ministri judicantes et auctoritatem habentes ad gubernandam Ecclesiam et declarandam fidem et controversias circa ipsam; sicut etiam rex in regno suo habet judices qui simul etiam ministri sunt regis, quia sunt judices participative et tamquam vicarii regis. Prohibentur etiam vocari magistri, vel quantum ad inanem gloriam ambiendi magisterium, ut exponit Chrysostomus (In *Mat.,* hom. LXXIII)[1], vel prohibet vocari magistri eo modo docendi quo solus Deus est magister, scilicet tamquam principalis causa doctrinæ, non ut exterius adjuvantes ut alii addiscant, sicut exponit S. Thomas *(De Ver.,* q. 11, a. 1 ad 1), et Augustinus (In I *Joan.,* Tract. III, super 2, 27)[2]. n. 613

620 XXVI. *Ad confirmationem argumenti respondetur,* Deum esse judicem supremum per modum universalissimæ causæ et universalissimi judicis. Unde non pertinet ad ipsum per se immediate omnia judicare quæ controvertuntur in fide, sed mediantibus aliis hominibus, sicut ex eo quod universalissima causa est, operatur mediis causis particularibus. Unde per aliqua verba se explicat et judicat: tum per verba Scripturæ, tum per verba hominis judicantis in Scriptura quidem tamquam in libro continente res fidei implicite vel explicite, cum difficultate tamen aliqua aut obscuritate, quæ explicari necesse sit; per verba autem hominis judicantis tamquam per eum qui determinat et

1 PG 57, 670.
2 PL 35, 2004.

declarat ea quæ implicite continentur in Scriptura: et hoc ex infallibili assistentia Spiritus Sancti ne erret, qui promisit Petro ut non deficiat[1] fides ejus in confirmandis fratribus, unde non est verbum fallibile, nec pure humanum, sed ab assistentia Spiritus Sancti gubernatum, de quo infra [2] amplius dicetur.

[1] Cf. *Luc.* 22, 32.
[2] Art. III et IV.

ARTICULUS III

UTRUM POTESTAS SUPREMA DETERMINANDI RES FIDEI SIT TANTUM IN VERO ET LEGITIMO SUCCESSORE PETRI ROMANO PONTIFICE?

% % %

621 I. Ostendimus in praecedentibus articulis potestatem determinativam rerum fidei debere esse aliquid visibile, et non solum Spiritum invisibiliter loquentem cuicumque homini; nec sufficere declarationem visibilem a Spiritu factam in Scriptura, sed ulterius requiri auctoritatem visibilem hominibus seu Ecclesiae, ab ipso Spiritu Sancto traditam ut tamquam a regula viva et judice determinarentur ea quæ circa fidem controvert! possunt.

622 Nunc restat declarare cui personæ, aut personis, conveniat potestas ista et auctoritas infallibiliter proponendi fidem.

623 Et quia nemo dubitare potest hanc auctoritatem extra Ecclesiam esse, cum constet ipsam potestatem determinandi res fidei esse fundamentum Ecclesiæ, dicente Christo ad Petrum *{Mat.* 16, 18) : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* itemque ad ipsum pertinere Ecclesiæ gubernationem et infallibilem fidem in proponendo: quæ omnia *intra* Ecclesiam esse debent, et ad illam maxime pertinere, sicut caput maxime pertinet ad corpus.

624 Idcirco, ut investigemus subjectum hujus auctoritatis, solum oportet discurrere per ea quæ in Ecclesia inveniuntur, et ex quibus Ecclesia constat, ut illud invenire possimus.

625 II. Est autem *supponendum* quod in præsenti, non ponimus pro regula et judice in rebus fidei totam Ecclesiam entitative acceptam, et ut dicit collectionem tam episcoporum quam subditorum. Aliud est enim totam Ecclesiam entitative acceptam errare non posse nec deficere in fide, aliud est totam Ecclesiam esse regulam judicantem et sententiantem res fidei.

626 *Primum* enim necessario admittendum est, cum universalis Ecclesia sit sancta et catholica: quod non esset si a fide deficeret.

627 *Secundum* vero est impossibile, cum tota Ecclesia secundum omnes suas partes congregari non possit ut sententiam proferat, nec omnes partes et membra Ecclesiæ auctoritatem judicandi habeant, neque enim omnes possunt esse pastores aut doctores, ut inquit Apostolus (I *Cor.* 12, 27-30). Oportet enim quod in Ecclesia, sicut in qualibet congregatione et republica, alii sint subditi, alii rectores, alii docentes, alii doctrinam recipientes; et sicut esset impossibile quod omnes in una republica haberent auctoritatem judicandi et gubernandi (sic enim destruetur corpus reipublicæ si omnes imperarent et non haberent quibus imperarent); et sicut in corpore anturali esset inconveniens quod omnia membra essent oculus aut caput, sic est impossibile quod tota Ecclesia secundum omnes suas partes habeat auctoritatem 'regulandi et determinandi res fidei: et sic regula fidei non potest esse æque immediate in tota Ecclesia, sed ratione alicujus, vel aliquarum partium. Sicut etiam in Ecclesia non possunt omnes esse boni ita quod Ecclesia

sit sancta secundum omnes suas partes et membra; sicut non omnia quæ sunt intra corpus humanum eodem modo a spiritu informantur, sed quædam solum a vegetativo gradu, quædam etiam a sensitivo, etc. et quædam se habent in corpore ut excrementa ejicienda, quædam ut in carnem transmutanda, sic in Ecclesia quædam membra sunt ut rejicienda et purganda, quædam ut purificanda et spiritu gratiæ informanda, et quædam se habent ut palea, quædam ut granum.

628 Sicut ergo tota Ecclesia non potest amittere sanctitatem (nec tamen omnes Ecclesiæ partes sunt sanctæ), sic neque tota Ecclesia potest deficere a fide. Non tamen ista indefectibilitas est æque in omnibus partibus Ecclesiæ, et consequenter neque regulatio infallibilis fidei, quæ fundatur in indefectibilitate a fide, æque est in tota Ecclesia, licet universali et toti Ecclesiæ conveniat, sicut toti homini convenit videre, sed non in toto corpore est visus.

©

629 III. *Punctus ergo difficultatis* reducitur ad hoc ut videamus an ista auctoritas pertineat ad principales partes Ecclesiæ. Illæ autem sunt principales partes quæ sunt positæ ad regendum Ecclesiam, quales sunt episcopi, juxta id quod dixit Paulus *(Act.* 20, 28) : ***In quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.*** De his ergo quærimus, cuinam vel quibus conveniat infallibilis auctoritas definiendi res fidei; et si uni convenit, an ille sit Romanus Pontifex Petri successor.

630 Loquimur etiam de suprema potestate determinandi res fidei, quia etsi in collectione seu Concilio episcoporum sit auctoritas definiendi et determinandi res fidei, non est *n. 479-80

tamen omnino independens a confirmatione supremi capitis Concilii, quod est Summus Pontifex. Unde non disputamus modo de potestate Concilii, an habeat vel non habeat potestatem determinandi res fidei, et an habeat potestatem supra Papam, præsertim quando non constat esse legitimum Pontificem, sed inquirimus de illa suprema potestate in rebus fidei ita infallibili quod ulterius ab aliqua confirmatione dependens non est, an de facto in aliqua persona Ecclesiæ reperiatur, et in qua.

Θ

631 IV. Circa hanc ergo quæstionem, varia fuerunt hæreticorum placita, et errores impugnantes et denegantes auctoritatem istam Apostolicæ Sedi Romanorum Pontificum.

632 *Et in primis,* si loquamur generaliter, omnes hæreses in ipso exercitio auctoritatem istam negant, quia ab ejus definitionibus recedunt. Quo sensu recte dixit Cyprianus (Epist. XII *ad Corn.,* n. 5) [1]: "Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur". Quis autem sit iste sacerdos et quæ cathedra judicis, eadem epistola infert Cyprianus dum inquit: "Navigare audeat, et ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, nec cogitare eos esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum". Et (Epist. XL *Plebi universæ*)[2]: "Una Ecclesia, inquit, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata . . , Quisquis alibi collegerit, spargit".

[2] PL 3, 802-3.
[1] PL 4, 336,

633 *Præter* hanc autem omnium haereticorum generalitatem a Petri cathedra et Apostolica Sede recedentium, fuerunt peculiares errores de ipso Romani Pontificis primatu. Varie enim et quasi gradibus quibusdam hanc veritatem, imo potius totius veritatis fidei promptuarium diabolus expugnare conatus est. *n·391

634 *Primo,* per schismata et irrisiones seu blasphemias; *secundo,* per negationem singularis prærogativæ ejus super cæteros; *tertio,* per totalem abnegationem potestatis ejus.

635 **In primo ordine** incœpit Tertullianus, cum ad Montani hæresim et Cataphrygum lapsus est, in Romanum Pontificem invehi, ut patet *(De Pudicitia contra Psychicos,* cap. 1) », ubi quasi per irrisionem eum *episcopum episcoporum* nominat, et ejus edictum de indulgendo his qui peccaverunt, si poenitentiam ostendant, non recipit. — Postea Donatistæ Apostolicam Sedem *cathedram pestilentiæ (Ps.* 1, 1) nominabant, et ab ea divisionem fecerunt; quam etiam Berengarius, Waldenses, Wicleph, et alii miris injuriis Romani Pontificis auctoritatem infestarunt. — Supra omnes autem Dioscorus, damnatus in Concilio Chalcedonensi, ausus est intorquere sententiam anathematis in Romanum Pontificem S. Leonem ut habetur [2] in Actione prima ejusdem Concilii. *n·634

636 V. **In secundo ordine,** incœperunt Græci et Armeni singularitatem primatus Romani Pontificis denegare. *n'634

637 Nam *in primis,* cum in secunda Synodo generali[3], ut colligitur ex appendice canonis tertii, tentassent episcopum

* PL 2,1033.
[2] Msi VI, 1009.
» Cf. Hef.-L. II, 1260-1271; Msi III, 578.

Constantinopolitanum in patriarcham sublimare, eique secundum locum post Romanam Sedem tribuere (quod tamen ab Apostolica Sede pro tunc non videtur receptum), *postea* in Synodo Chalcedonensi *(Sess.* XVI, can. 28) [1], cum jam congregatio esset soluta, et legati apostolici absentes, clanculum orientales episcopi canonem ediderunt in quo Constantinopolitanæ sedi ita secundum locum post Romanam dederunt, ut tamen æqualia ei privilegia concederent.

638 Quod *postmodum* amplius extendere volentes, tempore Pelagi II[2] et S. Gregorii[3], titulum "universalis episcopi" Constanttinopolitanus episcopus sibi arrogavit.

639 Ac denique aperte Pontificis Romani supreman auctoritatem denegarunt, dicentes eum ab hac potestate decidisse, eo quod contra prohibitionem secundæ[4] et tertiæ[5] Synodi generalis, addiderit symbolo illam particulam "Filioque procedit", ut colligitur ex epistolis[6] Leonis IX, ex Sigeberto *(Chronicon,* an. 1054) [7].

[1]

640 Similiter etiam Nilus quidam episcopus Thessalonicensis librum *(De ecclesiarum dissidio')* evulgavit contra primatum Pontificis Romani.

641 Item Waldenses, qui se ab obedientia Romani Pontificis subtraxerunt, ejusque negarunt singularem auctoritatem, quia ut refert Castro *(Contra hæreses,* verbo *Papa),* docebant

[1] Cf. Msi VII, 369; Hef.-L. II, 815 sq.
[2] A.D. 578-590.
[3] A.D. 590-604.
[4] Msi III, 566.
[5] Msi IV, 1362.
[6] Msi XIX, 663 sq,, 667 sq.
[7] PL 160, 211.

omnes presbyteros esse pares, neque unum esse alio superiorem: quæ fuit olim hæresis Arii, ut refert Epiphanius *{Hæreses,* LXXV), ›, et videri potest Augustinus *{De Hæres.,* 53)1

642 Et similiter id docuit Marsilius quidam Paduanus3 et Joannes de Janduno, qui censuerunt Christum solum dedisse sacerdotibus-potestatem ministrandi sacramenta et prædicandi, non vero ad obligandum vel præcipiendum.

643 VI. Denique Anglicana hæresis ex alio fundamento longe diverso, unitatem capitis supremi in Ecclesia negavit, 4o5 ěxistimans unumquemque principem temporalem supremum in suo regno, supremam etiam auctoritatem spiritualem habere. Existimant enim potestatem politicam non a populis regi collatam, sed a Deo immediate, et cum ea recepisse etiam principes tempore legis naturæ et scriptæ, potestatem circa spiritualia, eamque mansisse tempore gratiæ, in quo jubentur omnes Christiani subjici principibus sæcularibus *{Rom.* 13, 1): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* etc. et iterum (I *Pet.* 2, 13): *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti·,* etc. Unde Tertullianus *{Ad Scapulani)*4: "Colimus, inquit, imperatorem, quomodo et nobis licet.. ., ut hominem a Deo secundum, et quidquid est a Deo consecutum solo Deo minorem... Sic enim omnibus major est dum solo vero Deo minor est". Igitur regia potestas, etiam in lege gratiæ, a Deo ipso immediate dimanat, et soli Deo immediate subest non Papæ.

1 PG 42, 505.
1 PL 42, 40.
3 Cf. DTC a. *Marsile de Padoue,* IX, 162-163.
* PL 1, 700.

644 VII. **Tertio ordine,** sunt in primis Fraticelli, qui docuerunt cessasse in Romana Ecclesia auctoritatem Petri et ad ipsos esse translatam, de quo videatur Turrecremata *(Summa de Ecclesia,* Lib. IV, II Pars, cap. 37).

645 Similiter etiam Wiclephistæ et Hussitæ, ut constat ex Concilio Constantiensi (Sess. VIII et XV) [1] contra auctoritatem Romani Pontificis insurrexerunt.

646 Ac denique nostro tempore, Lutherus, Calvinus et omnes quotquot sunt hæretici, in hoc potissimum omnes suas vires intendunt ut supremam Pontificis potestatem negent et impugnent. Et in summa, censent omnes Christianos in sacerdotio pares esse, et distinctionem cleri a populo tollunt.

647 Addunt vero Romanum episcopum aliquando fuisse sicut unum de cæteris episcopis, etsi non superiorem illis, qui tamquam pastor quidam et concionator illius Ecclesiæ se habuerit, imitantes in hoc verba Tertulliani *(De pudicitia,* cap. 13) [2]: "Et tu, inquit, quantis potes misericordiæ illecebris, bonus pastor et benedictus Papa concionaris, et in parabola ovis, capras tuas quæris, etc."

648 Addunt vero hæretici nunc Papam nihil aliud esse quam Antichristum existimantes Antichristi nomine, non aliquam singularem personam, sed regnum aliquod maxime tyrannicum et violentum designari [3]: quod ipsi putant in pontificali regimine compleri.

[1] Mansi XXVII, 1207, 1209.
[2] PL 2,1056.
[3] Cf. Suarez, *Defensio fidei,* Lib. 5, *De Antichristo,* T. 24 *(Op. omnia,* Vivès, p. 531-658); etiam Bellarminus, *Controversies.* T.I, *De Romano Pontifice,* Lib. III (pertotum).

649 Igitur ea quæ difficultatem aliquam in hac materia inducere possunt, conformiter ad istarum hæresum ordinem tractanda sunt, et ad duo capita reducenda: *primo,* ostendemus istam auctoritatem supremam esse tantum in uno; *secundo* [1] determinate in Romano Pontifice Petri successore.

* * [1]

650 VIII. **PRIMA CONCLUSIO: In Ecclesia, suprema auctoritas determinandi res fidei in uno supremo capite ponenda est.**

651 De hac conclusione videatur D. Thomas *(Contra Gent.* Lib. 4, cap. 76; *Supplem.* q. 40, a. 6). Est autem de fide definita in Concilio Constantiensi, ubi damnatur tamquam error XXVIIus articulus Huss[2], quod non oportet "esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militanti Ecclesia conversetur et conservetur."

652 Ut autem contra hæreticos etiam probetur, et de fide esse ostendatur, pro majori intelligentia advertendum est quod loca Scripturæ, in quibus unitas capitis hujus habetur et auctoritas suprema circa res fidei sunt præcipue *tria.* — Scilicet *(Mat.* 16, 18-19): *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,. . . et tibi dabo claves regni coelorum; (Luc.* 22, 32): *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* et *(Joan.* 21, 17): *Pasce oves meas.*

Θ

653 In quibus locis, sine dubio *aliqua potestas et auctoritas datur,* ut patet cum dicitur: *Tibi dabo claves regni ccolorum,*

1 Art. IV.
2 Msi XXVII, 1209.

et *confirma fratres tuos* in fide, ac denique: *Pasce oves meas.* Hæc enim omnia significant actus potestatis et auctoritatis. Ipsa enim metaphora clavium in Scriptura potestatem designat, ut *(Is.* 22, 22): *Potestatem tuam dabo in manu ejus, ... et dabo elavem domus David super humerum ejus;* et *(Apoc.* 3, 7): *Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet elavem David,* etc.

654 Ipse etiam actus confirmandi in fide auctoritatem designat, alias non fieret confirmatio si infallibili auctoritate dubietas non tollitur. cf. n. 559

655 Denique ipsum pascere potestatem designat regendi. —[1] Unde in Scriptura, rex et gubernator pastor appellatur *(Is.* 44, 28): *Qui dico Cyro: Pastor meus es, (Ezech.* 34, 23): *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum: et servus meus David princeps in medio eorum.* Ubi pro eodem reputatur nomen pastoris et principis. Et quod loquatur de hominibus constat per id quod subditur *(Ezech.* 34, 31): *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis.* Igitur pascere oves Domini auctoritatem et potestatem importat super homines; et sic *(Ps.* 22 1) illud verbum *Dominus regit me* legitur, juxta Hieronymum *Dominus pascit me,* pro eodem sumens regere et pascere.

Θ

656 IX. Secundo pro constanti teneri debet hanc auctoritatem *alicui certæ personæ* esse commissam. Quod patet ex ipsa designatione personæ per pronomina designativa, videlicet: *Tibi dabo, tu es Petrus, tu confirma fratres tuos,* n. 653

[1] *Psalt. Hebr., Ps.* XXII, 1, PL 28, 1144.

Simon Joannis pasce oves meas. Ergo ille singularis homo, ex vi talis designationis, aliquam recepit potestatem et auctoritatem. Unde dixit Cajetanus (super XVI *Mat.),* non potuit Dominus magis individualiter exprimere personam Petri quam nominando ipsum pronomine designativo, et nomine proprio Simon, et designatione nominis a Christo impositi, *tu es Petrus.*

657 Et quod per illa pronomina, præcipue per illam particulam *super hanc petram,* non designetur alia persona præter Petrum (licet an referatur ad Petrum vel ad Christum dubitaverit Augustinus *(In Joan.* Tract. CXXIV, n. 5) [1] et *(Serm. ad Popul.,* serm. LXXVI, cap. 1, 2, 3) [2] et *(Retract.,* Lib. I, cap. 21, n. 1) [3] ubi utramque expositionem admittit tamquam probabilem) patet: — *tum,* quia est communis sanctorum intelligentia illam petram et fundamentum intelligi de Petro, quod est fundamentum Ecclesiæ, ut ostendit magister Banez (in Ilam-IIæ, q. 1, a. 10, circa primam conclusionem). Sic enim appellant Petrum "fundamentum" et "caput Ecclesiæ" patres Concilii Chalcedonensis [4] et in sexta Synodo generali (Constantinop. III, *Act. 4) [5] et* in Concilio Florentino [6], et in Constantiensi tamquam error Huss [7] damnatur quod Petrus non fuit caput Ecclesiæ. — *Tum* quia sine controversia et illam sequentem particulam *tibi dabo claves regni coelorum,* referri ad ipsum Petrum.

658 Neque enim potest referri ad ipsum Christum: nec enim sibi dare poterat claves dicendo *tibi dabo,* sed Christus de-

1 PL 35,1973-1974.
2 PL 38, 479-480.
3 PL 32, 618.
4 Msi VI, 147.
5 Msi XI, 242.
6 Msi XXXI, 1031.
7 Msi XXVII, 1209.

signat se ut conferentem, et Petrum ut eum cui confert, cum dixit *tibi* et *Simon Joannis pasce.*

659 Nec etiam designat Petrum in persona aliorum Apostolorum, quia loquitur cum Petro discernendo ipsum a cæteris. Ergo loquitur personaliter et individualiter cum Petro.

660 X. Nec dici potest quod fundavit Christus Ecclesiam super ipsam confessionem fidei absolute, quia confessio fidei non accepit claves, sed persona illa quæ confessionem fidei fecit. Unde nec Ecclesia dicitur fundari super confessionem fidei absolute sumptam et secundum quod a quolibet homine fit, ut impie Lutherani explicant. Sic enim non magis fundaretur Ecclesia super Apostolos et Petrum, quam super quemlibet fidelem: qui tamen non fundamentum sunt sed ædificatio, dicente Apostolo (I *Cor.* 3, 9): *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis;* de Apostolis autem *(Ephes.* 2, 20): *Superædificati super fundamentum Apostolorum, et prophetarum.* Sed fundatur Ecclesia super confessionem Petri, ut a Petro factam. Quo sensu intelligendi sunt Patres Hilarius *(De Trin.* Lib. VI, 37-38) s Ambrosius (In *Luc.* Lib. 6, super IX)2, Chrysostomus (In *Mat.,* hom. LV) 3, et alii, dum illam petram in qua fundatur Ecclesia, fidem seu confessionem fidei intelligunt, non tamen absolute sed ut a Petro est.

661 XI. Ex his ergo duobus notabilibus, seu principiis, scilicet quia in civitatis locis datur auctoritas, seu potestas aliqua cæteris superior ad confirmandas res fidei et doctrinam *n. 652 sq.

1 PL 10, 187-189.
2 PL 15, 1780-1781.
3 PG 57, 534.

Ecclesiæ, *et* illa confertur uni personæ determinata, cum qua Christus loquebatur, nominando ipsam et a cæteris discernendo, sicut *(Luc.* 22, 31-32) dixit omnibus: *Ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum;* ad Petrum autem: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* et similiter *(Joan.* 21, 15-17) Petrum ab aliis discernendo dixit: *Simon Joannis, diligis me plus his* ? et statim intulit: *Pasce oves meas.*

662 Ex his, inquam, principiis conficitur pro nostra conclusione argumentum sic: Petrus recepit a Christo, tamquam determinata persona, potestatem aliquam in omni Ecclesia superiorem in confirmandis et pascendis cæteris; *ergo* illa Ecclesia primitiva, quæ tunc erat, habuit unitatem capitis seu gubernatoris in terra nempe Petrum; *ergo* et Ecclesia, quæ modo est, debet unitatem capitis habere, et gubernari ab una suprema potestate, et non debent esse plures potestates supremæ.

663 *Antecedens* constat ex locis allegatis, in quibus persona Petri in auctoritate et regimine præfertur omnibus, et non istis aut illis determinate. Nam ut dixit Innocentius III (c. 6, X, *de majoritate et obed.,* I, 33) u "In illis verbis *pasce oves meas,* non distinxit inter has oves et alias, ut alienum a suo demonstraret ovili, qui Petrum et successores ipsius magistros non recognosceret et pastores". Sic autem omnibus prælatus est sine ulla distinctione. Ergo nullus illi æqualis fuit in potestate illa in qua unus est, aut saltem eo modo quo unus est, scilicet ut ordinarius pastor Ecclesiæ. Quod etiam Apostolos intellexisse testatur Hieronymus (In *Mat.,* Lib. III super XVIII, 1), dum inquit[2] quod "quia viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum cæteris *n. 652 sq.

1 RF II, 198.
2 PL 26,128.

Apostolis esse praelatum, ideo interrogant quis major sit in regno coelorum" ?

664 Et in eodem sensu, semper locutus est Christus nominans illum individualiter, et in actu signato a cæteris distinguens ut patet {*Joan.* 21, 15-17), cum dat illi potestatem pascendi præ cæteris, quia et præ cæteris diligere examinatur; et similiter {*Luc.* 22, 31-32), inter omnes ei promittitur non defecturum in fide, et jubetur ut confirmet fratres quando conversus fuerit. Aliquid *ergo* personæ Petri, ut a cæteris distinguitur, tribuitur a Christo.

665 *Consequentia prima* argumenti constat. Nam Ecclesia tunc habuit illud regimen quod Christus in ea posuit: constat enim Christum tunc constituisse corpus Ecclesiæ tamquam ordinatam rempublicam diversis gradibus distinctam et ministeriis, ut primo essent Apostoli, deinde doctores, etc. ut Paulus narrat {*I Cor.* 12, 28; *Eph.* 4, 11). Ergo si in illis singularitatem auctoritatis supra omnes oves tantum Petro tribuit, illud tunc in illo regimine Ecclesiæ servatum fuit: alias frustra rempublicam institueret ecclesiasticam, et auctoritatem super omnes Petro tribueret, si id servandum non esset.[666] ñ. 662

666 *Secunda* vero consequentia* manifesta etiam est, quia regimen et gubernatio Ecclesiæ sic continuatum est modo sicut tunc incœpit, cum maxime solliciti fuerint Apostoli servare unitatem Ecclesiæ, quæ sane servari non posset si tunc uno capite regeretur, et postmodum ipsi in plura capita illam dividerent. Nam si mutaretur modus ille regiminis qui erat in Ecclesia positus a Christb et servatus in Petro, non esset eadem Ecclesia illa quæ modo est cum illa quæ tunc incœpit. Si non remaneret eadem forma gubernandi Ecclesiam, non maneret eadem specie, nec continuaretur illa *n 662

cum ista nisi eo modo quo Antiquæ Legis Ecclesia cum nostra continuatur.

667 XII. Pro majori autem intelligentia conclusionis positæ advertendum est apostolicam auctoritatem seu dignitatem, quam Christus Dominus instituit, *aliqua* habuisse in quibus omnes Apostoli pares fuerunt: neque in illis modo unitatem aliquam primatus constituimus. *Aliqua* autem fuisse in quibus suprema aliqua potestas instituta est a Christo ut in Ecclesia permaneret: et de hac solum agimus, et in ea Petrum reliquos Apostolos superasse præcise asserimus. Apostolis autem data est potestas in orbe prædicandi Evangelium cum dixit Christus *(Joan.* 20, 21): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* et consequenter tribuit eis extraordinariam potestatem, qualis requirebatur in illis primis fundatoribus Ecclesiæ per totum mundum, ut scilicet haberent potestatem delegatam a Christo circa Ecclesiam: haberent primitias Spiritus, plenitudinem scientiæ, confirmationem in gratia, donum linguarum, potestatem ad miracula, directionem Spiritus ad canonice scribendum, etc. Hæc autem omnia quæ pertinebant ad extraordinariam illam auctoritatem, quam habebant tamquam fundatores Ecclesiæ et respectu ipsius Ecclesiae in fieri, ut ita dicam, non oportebat in successoribus ordinarie conservari, quia ipsi non succedebant ut fundatores Ecclesiæ, et ideo non erat necesse accipere illam extraordinariam potestatem.—Et hujus *ratio* est quia Apostoli, in hac potestate, habebant se ut legati missi immediate a Christo; in hoc autem munere legationis nullus successit; et ideo nullus amplius vocatur Apostplus in Ecclesia. *n. 650 *n. 668

668 XIII. Alia* potestas erat circa regimen Ecclesiæ et gubernationem ejus, quæ pertinebat ad Ecclesiam quasi ad *n. 667

ejus conservari, et innitebatur potestati ordinis [1] in Apostolis. Et hæc potestas debebat manere in Ecclesia per successores eorum juxta illud Pauli ad epicopos (*Act.* 20, 28): *In quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei;* et (*Tit.* 1, 5) dicitur: *Ut... constituas per civitates presbyteros;* et quale sit episcopale munus, ibidem declaratur, et (I *Tim.* 3, 1-13). Nec Ecclesia conservari posset sine regimine et gubernatione, alias non esset congregatio hominum ordinata. Oportuit ergo in hoc regimine esse successores.

669 In his ergo dicimus quod illa loca Scripturæ (quæ tangunt hanc potestatem ordinis et regiminis Ecclesiæ), unitatem supremæ potestatis designant in Petro, quod non fuit in reliquis Apostolis. Et hoc etiam Patres affirmant, qui fatentur parem honorem in Apostolis fuisse, sed non unitatem capitis, in solutione primi argumenti ostendetur

670 Et hoc patet, nam quando Dominus loquitur Petro dans illi inter cæteros Apostolos aliquid peculiaris excellentiæ et dignitatis, semper designat aliquem actum regiminis et ordinis, ut quando dicit: *Tu conversus confirma fratres tuos* [2]; *Tibi dabo claves regni cælorum* [3]; *Pasce oves meas,* etc.[4]: in quibus semper denotatur actus regiminis.

* * *

671 **QUANTUM AD HOC ERGO QUOD EST REGERE ET GUBERNARE, DICIMUS apostolicam auctoritatem uni eminentius collatam esse inter cæteros,**

[1] Intellige: potestas ordinaria ut contraponitur ad delegatam; cf. *Cod. juris canonici,* c. 197, 1.
[2] *Luc. 22,32.*
[3] *Mat.* 16,19.
[4] *Joan.* 21, 17.

et tamquam capiti gubernationis respectu omnium etiam discipulorum Christi, ut notavit S. Damasus Papa *{Epist. ad Stephanum et episcopos Africanæ provinciæ,* cap. 8) ›, ubi Petrum omnium membrorum Christi maximeque discipulorum, orthodoxæque et immaculatæ fidei principem et doctorem appellat.

¥ ¥

672 **Hoc ergo probamus in primis,** ex eo quod in Veteri Testamento, fuit ordinarie unus tantum pontifex summus ex officio, sicut Aaron et successores ejus, licet extraordinarii prophetæ cum aliqua extraordinaria potestate mitterentur ad populum. Cæterum, officium et dignitas summi sacerdotis tantum erat in uno: quod etiam ipsi hæretici fatentur, et ex ipsa Scriptura patet, in qua pontifex numeratur tamquam una persona ut Aaron, deinde Eleazar, deinde Phinees, et alii multi, ut videri est *{Num.* 20, *Deut.* 10); et (II *Par.* 19, 11), unus summus sacerdos præsidens ponitur Amarias, et alibi sæpe de aliis pontificibus, quin *{Joan.* 11, 51) dicitur de Caipha: *Cum esset pontifex anni illius.* Si ergo tunc synagoga unum visibile caput habuit in sacerdotio, et illa fuit typus Ecclesiæ et non solum Christi, cur et modo unum caput non habebit.

¥ ¥

673 XIV. **Deinde secundo,** id probatur ex tribus præcipue locis Novi Testamenti, in quibus tria ponderanda sunt, et ex illis ratio demonstrativa contra hæreticos conficienda. *n-652 w

674 *Primum est,* in his verbis designari potestatem et auctoritatem collatam; *secundum,* designari subjectum determi-

› PL 130, 661.

natum cui confertur; *tertium,* designari universitatem subjectorum supra quæ confertur.

675 De primo et secundo late supra et de tertio præter ibi dicta patet ex universalibus illis clausulis: *quæcumque solveris, quæcumque alligaveris;* item, *confirma fratres tuos,* non hos vel illos, sed absolute fratres; item, *pasce oves meas,* non has vel illas, sed quæ sunt meæ, istæ autem sunt omnes. *n 653 sq.

676 Quæ est ponderatio Innocentii (c. 6, X, *de majoritate et obed.,* I, 33) [1], et Bernardi *(De Consider.,* Lib. 2, cap. 8) [2]: *"Oves meas,* inquit, cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil".

¥ ¥

677 XV. **Tertio,** probatur ex traditione Ecclesiæ a temporibus Apostolorum, per dicta Pontificum, Conciliorum et Patrum.

678 *Et in primis,* unitatem capitis sæpissime tradit S. Cyprianus *(De unitate Catholicæ Ecclesiæ,* cap. 4) [3]: "Super unum, inquit, ædificat Ecclesiam"; et infra: "Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur". Quæ verba secutus Hieronymus *(Adv. Jovin.,* Lib. 1, n. 26) [4], ad tollendam schismatis occasionem, unum caput constitutum dixit, etsi super omnes Apostolos fundaretur Ecclesia.

1 RF 11, 198.
2 PL 182, 751.
3 PL 4, 498.
4 PL 23, 247.

679 Et similia habent Anacletus (Epist. 3 *ad omnes episcopos}* [1]; Julius I *{Ad episcopos orientales,* epist. I, cap. 6 et [illegible]et Leo Papa (Epist. XIV *Ad Anastasium,* cap. 11) [3]; Gelasius (Epist. I *Universis episc.)* [4] qui inquiunt quod licet "omnium Apostolorum par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque orta est distinctio.. . per quos ad unam S. Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret". [5]

680 Idem constat ex Patribus ab ipsa Apostolorum tradi- *n. 677
tione, unitatem hanc [capitis] in Ecclesia agnoscentibus. Nam in primis, S. Ignatius (Epist. *ad Philadelphenses,* 4) [6]: "Una est caro Domini Jesu, et unus sanguis ejus qui pro nobis effusus est: unus etiam panis pro omnibus confractus, unus calix totius Ecclesiæ, et unus episcopus simul cum omnibus presbyteris et diaconis".

681 Quem loquendi modum secutus sæpe est S. Cyprianus (Epist. XL *Plebi universes)* [7]: "Una Ecclesia, inquit, est et cathedra una super petram Domini voce fundata, quisquis alibi collegerit, spargit"; et (Ad Fortunatum, *De exhortatione martyrii,* cap. 11) [8]: "Cum septem liberis plane copulatur et mater origo et radix; quæ Ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima et una super Petrum Domini voce fundata". Videatur etiam (Epist. XII *ad Corn.,* 1)[9]; et *{De Unitate catholicæ Ecclesiæ,* cap. 4) [10]. Item S. Diony

1 PL 130, 77.
2 PL 130, 620.
3 PL 54, 676.
3 PL 130, 965.
3 PL 54, 676.
3 PG 5, 700.
7 PL 4, 345.
8 PL 4, 694-695.
9 PL 3,844-847, et PL 4, 515.

sius Papa (Epist. II *Ad Severum episcopum)* [1]: "Habemus, inquit, auctoritatem universali Ecclesiæ . .. subvenire, et quidquid nocivum est auctoritate apostolica corrigere et emendare". Et infra subdit: "Unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus".

682 Item Origines (In *Joan.,* T.V, n. 3)[2]: "Petrus autem, cui tanquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi, adversus quam nec ipse inferorum portæ prævaluræ sunt."

683 Et S. Chrysostomus (in *Mat.,* horn. LV, 1) [3]: "Vocatur Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortii totius, etc.", et infra: "Hunc universo terrarum orbi Christus præposuit".

684 Item Augustinus (QwæsL *ex Novo Testam.,* c. 75)[4]: "Sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit esse caput eorum".

685 Denique Bernardus *{De Consider.* Lib. 2, cap. 8)[5]: "Forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendavit in uno grege et uno pastore"; et infra: "Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt."

[1] PL 130, 188-189.
[2] PG 14,188.
[3] PG 57, 533.
[4] PL 35, 2270.
[5] PL 182, 752.

686 Denique, testimonia quæ probant ad unum Summum Pontificem Concilia confirmanda remitti, ad ipsum ab omnibus episcopis appellari, ipsumque omnes ut Primam Sedem recognoscere, clarissime ostendunt unitatem capitis Ecclesiæ. Hæc autem commodius afferrentur infra ostendendo hanc auctoritatem capitis supremi inveniri in episcopo Romano, ne sæpius eadem repetamus. art. iv

* 4

687 XVI. **Quarto denique probatur** catholica ista assertio ratione. Et inter alias præcipua ratio probans hanc unitatem capitis, est illa quam D. Thomas posuit in præsenti articulo [1] ex unitate fidei, et in *Supplemento* [2], ex unitate Ecclesiæ.

Θ

688 Et ratio quæ deducitur *ex unitate fidei,* sic efficaciter formatur: Fides debet esse una apud omnes, *ergo* quicumque habet auctoritatem infallibiliter determinandi res fidei, debet obligare omnes qui illam determinationem audierint; *ergo* implicat esse potestatem supremam ad determinandum res fidei, et illi non subesse omnes fideles: quia omnes tenentur credere illi determinationi, sipuidem pertinet ad fidem, et fides una est.

689 *Confirmatur* et explicatur amplius ista ratio. Nam *vel* auctoritas suprema determinandi res fidei est in multis quatenus congregantur in unum, id est in Concilio et congregatione multorum, seu in multis copulatim; *vel* est in multis divisive, ita ut quilibet seorsum haberet potestatem determinandi res fidei infallibiliter.

[1] IIa-IIae, q. 1, a. 10.
[2] *Supplem.* q. 40, a. 6.

690 *Si primum,* verum quidem est congregationem Ecclesiæ non posse errare, cæterum hoc ipso indiget aliquo habente potestatem ad congregandum. — Si autem ponenda est una suprema potestas ad congregandum Concilia, etiam et consequenter ad cognoscendum de illa re ad quam congregat: esset enim magnum absurdum quod princeps haberet potestatem congregandi suos inferiores ad tractandum aliquod negotium, et ipse non posset cognoscere de eo quod tractant nisi tamquam unus aliorum, et non ut superior confirmando vel infirmando ea quæ tractant; præterea, quia potestas hæc congregandi fundatur in potestate pascendi et confirmandi cæteros, sicut dictum est: *Confirma fratres tuos* \ siquidem congregatio ista ordinatur ad confirmandum res fidei, ergo ad quem pertinet congregare Ecclesiam, pertinet et confirmare.

691 Si autem non esset potestas, quæ auctoritatem haberet ad congregandum illos multos in quorum congregatione est potestas determinandi res fidei, semper maneret dubium an esset legitima congregatio et legitimum Concilium, cum non esset a quo congregarentur et obligarentur legitime convenire in unum, et ideo pateret locus schismatibus et calumniis, si unus vellet, alter non vellet congregari; essetque moraliter impossibile sine miraculo omnes unanimiter convenire. Quare id esset contra convenientem rationem gubernandi Ecclesiam, et subveniendi necessitatibus occurrentibus circa ea quæ sunt fidei.

692 Et ideo provide in antiqua Ecclesiæ regula servatum est, ut Concilia sine auctoritate Apostolicæ Sedis congregata legitima non sint: ut constat ex Concilio Chalcedonensi[1], et

[1] *Luc.* 22, 32.
[«] Msi VI, 581.

{Historia tripartita, Lib. IV, cap. 9)[1] habetur: "Regula ecclesiastica jubet non opertere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari", et legi potest epist. I *{Ad episcopos Antiochenæ provinciae)*[2] et epist. II *{Ad Maxentium tyrannum)* [3]*S. Marcelli Papæ; Julius Papa *{Epist.* II)[4]; Damasus *{Epist. ad Stephanum,* cap. 9)[6,7] et *{Epist. orthodoxis episcopis)* [«]; S. Athanasius et alii *{Epist. ad Felicem II)* [8], multasque alias auctoritates congerit doctissimus vir Antonius Augustinus *{Epitome juris pontificii veteris,* Lib. I, Tit. 6).

693 XVII. *Quod si dicatur* auctoritatem et potestatem supremam circa res fidei esse divisive in pluribus personis, puta diversis archiepiscopis vel primatibus, hoc fit omnino implicatorium. Nam hoc ipso quod unus eorum determinaret aliquam propositionem de fide, si ad id haberet infallibilem auctoritatem, non solum sui subditi, sed etiam omnes fideles, etiam aliorum episcoporum subditi, tenerentur acceptare illam determinationem; utpote cum esset infallibilis de fide, et fides sit una apud omnes. Ergo in determinatione rerum fidei, quilibet eorum debeat habere auctoritatem super omnes in solidum, et sic superflue alii ponerentur hanc supremam auctoritatem habere, cum uni necessario omnes deberent subesse, hoc ipso quod infallibiliter definiret. *n. 689

G

[1] PL 69, 960.
[2] PL 130, 219.
[3] PL 130, 222-223.
[4] PL 130, 626-627.
[5] PL 130, 661.
[6] PL 130, 668.
[7] PL 130, 639-640.

694 XVIII. *Ex unitate etiam Ecclesiæ* deducitur idem argumentum. Nam si essent plures supremæ potestates habentes diversas ecclesias subjectas, *vel* in his essent eadem sacramenta, eadem fides, idem sacerdotium et idem Evangelium, *vel non.* *n. 687

695 Si non essent, ergo non esset modo unum ovile nec una Ecclesia, quia non constaret eodem sacerdotio; et consequenter non esset eadem lex nova apud omnes, si quidem translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat, ut ait Apostolus *(Heb.* 7,12), et sic diviso sacerdotio, divisa esset lex et Ecclesia.

696 Si autem deberent apud omnes esse eadem sacramenta, idem sacerdotium, et ritus, atque eadem lex Christi, frustra essent plures supremi sacerdotes et plura capita. *Si quidem* omnes eodem modo deberent gubernare, et convenire in his quæ sunt de substantia religionis, et solum possent differre in his quæ sunt accidentales cæremoniæ aut consuetudines (sicut modo in diversis Ecclesiis diversæ sunt consuetudines, quæ ut observentur non requirunt supremam auctoritatem in quolibet episcopo). *Si autem* in his quæ sunt de substantia religionis omnes illæ supremæ potestates deberent eodem modo convenire et eodem modo regere (alias si unus aliter se haberet quam alter, periret unitas fidei et religionis Ecclesiæ), multo melius id efficitur per unum, quia majus miraculum est plures habentes supremam potestatem convenire omnino et nunquam discrepare, quam ab uno gubernari ea quæ sub una lege evangelica, et uno sacerdotio ac religione continentur; præsertim quia, licet unus sit in plenitudine supremæ potestatis, tamen multi alii vocati sunt in partem sollicitudinis, scilicet multi episcopi, et alii ministri inferiores, quibus totum hoc corpus Ecclesiæ regitur. Unde una ex rationibus quibus theologi et philosophi probant dari unum

Deum, est ex regimine totius universi, quia si duo suprema principia gubernarent, non posset in omnibus esse eadem uniformitas et unitas regiminis.

o

697 XIX. Ex dictis refutata manet hæresis Anglicana quatenus ponit in quocumque rege supremo esse supremam auctoritatem spiritualem circa regimen Ecclesiæ. Nec enim unitas Ecclesiæ secundum quod consistit in unitate sacerdotii et administratione sacramentorum, et eadem lege evangelica, nec unitas fidei servari possit nisi omnes eidem determinationi infallibili rerum fidei subsint, ut explicatum est. ñ. 405,643 *n' 687 sq'

698 Specialiter autem id non pertinere ad reges temporales expresse impugnavit S. Ambrosius scribens super hac re ad imperatorem Valentinianum *{Epist.* XXI, 4) ', ubi secundum Scripturas ostendit episcopos debere de imperatoribus judicare in causa fidei, non e contra. Et idem ostendit *{Epist* .XX, n. 8 et 19)3: "Noli, inquit, te gravare, etc.". Unde est illud celebre dictum Joannis VIII Papæ capite *Si imperator* (c. 11, D. XCVI)4: "Si imperator catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ; quod ad religionem competit discere ei convenit, non docere". Videri possunt plures auctoritates (in tota illa distinctione XCVI, per plura capita, et c. 6, X, *de majoritate et obed.,* I, 33)5.699

699 Nec obstat fundamentum superius* adductum pro ista hæresi Anglicana: — *tum* quia falsum est reges temporales *n-643

1 Cf. Suarez, *Defensiofidei,* Lib. III, cap. 7-9, *Opera omnia,* 24 (Vivès), p. 328 sqq.
2 PL 16,1046.
' PL 16, 1039, 1041.
‹ RF I, 341.
3 RF II, 196-198.

immediate [1] institutionem accepisse a Deo, sed mediante populo seu republica. Nam hoc ipso quod homines voluerunt politice vivere, habuerunt quoque jus constituendi sibi caput politicum quod eos gubernaret. Unde non est eadem forma regiminis data omnibus, sed quidam a pluribus, alii ab uno gubernantur; nec tamen a Deo immediate mutantur istæ formæ regendi, sed a populo seu republica.

700 *Tum etiam,* quia dato quod rex institueretur a Deo, non tamen instituitur ut habens potestatem spiritualem, sed solum temporalem. Et de facto in Lege Veteri scripta, reges non habuerunt ordinariam potestatem spiritualem, nisi forte aliquis eorum tamquam propheta ex speciali Dei commissione eam exerceret, sed distinguebantur reges a summis pontificibus, nec eorum munera exercebant, unde Oziæ volenti adolere incensum dixit [Azarias] summus sacerdos (II *Par.* 26, 18): *Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum.* Nec Apostolus [2] jussit regibus obedire in spiritualibus [3], sed in temporalibus, ut ita redderentur quæ sunt Cæsaris Cæsari [4], et non alii. Et in eo sensu loquitur D. Petrus [5], nec in spiritualibus nos jubet subjici regibus, sed propter humilitatem id fecit, ut dicit Innocentius III (c. 6, X, *de majoritate et obed.,* 1,33) [6]. Verba autem Tertulliani [7] sufficienter intelliguntur quod reges habeant potestatem consecutam a Deo non immediate, sed mediante populo, et quod sint solo Deo minores in temporalibus, non in spiritualibus.

* * *

1 Cf. Suarez, *toc. cit.,* Lib. III, cap. 2-3, T. 24, p. 206 sq.
2 *Rom.* 13,1.
3 Cf. IIa-IIæ, q. 104, a. 6.
4 *Mat.* 22, 21.
5 I *Pet.* 2, 13.
6 RF II, 197.
7 *Ad Scapulam,* cap. 2, PL 1, 700.

SOLVUNTUR ARGUMENTA

701 XX. **Circa primum ergo arguitur** ad probandum quod auctoritas ista non sit tantum in uno. Nam in primis, omnes Apostoli æqualem acceperunt potestatem a Christo; nam sicut Petro dictum est[1] *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis,* sic omnibus Apostolis dictum est *{Mat.* 18, 18): *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo.*

702 *Imo S. Leo* Papa *{Sermones, serm. IV, c. 3)*[2] illum locum: *Tibi dabo claves,* etc. ad omnes Apostolos pertinere dixit, nam verba illa proponens: "Transivit, inquit, in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit"; ergo in illo loco non continetur primatus Petri magis quam aliorum Apostolorum, et sic auctoritas circa res fidei non convincitur ad unum pertinere.

703 Idem sentiunt sancti Patres, ut Cyprianus *{De Catholicæ Ecclesiæ unitate,* cap. 4)[3]: "Hoc, inquit, erant et cæteri Apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis"; et S. Hieronymus *{Adversus Jovinianum,* Lib. I, n. 26)[4] "Super omnes Apostolos fundatur Ecclesia, et cuncti claves regni cœlorum accipiunt, et ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidatur". Difficilius Clemens Alexandrinus citatus ab Eusebio *{Hist. Ecclesiast.,* Lib. II, cap. 1)[5] inquit: "Petrus, Jacobus, et Joannes, post assump-

1 *Mat.* 16, 19.
2 PL 54,151.
3 PL 4, 498.
4 PL 23, 247.
5 PG 20,136.

tionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum episcopum statuerunt". Episcopus autem Apostolorum necessario debebat habere primatum in Ecclesia. Et Chrysostomus (In *Act.,* horn. III) [1] inquit: "Apostolos Jacobo concessisse solium". Igitur non constat primatum Ecclesiæ in uno Petro aut ejus successore mansisse.

704 XXI. *Confirmatur,* quia in Lege Veteri non fuit pontificatus supremus solum in uno, ergo neque id videtur servandum in Lege Nova.

705 *Consequentia* patet a fortiori, nam si populus Judaicus, cum esset tam exiguus, uno pontifice contentus non erat, multo magis totus orbis. Item quia præcipuam rationem unitatis et monarchic! regiminis in Ecclesia ex forma Legis Veteris sumunt catholici; ut videri potest in Bellarmino *{De Romano Pontifice,* Lib. I, cap. 9).

706 *Antecedens* etiam patet, nam de tempore David, Sadoc et Abiathar erant summi sacerdotes; et de Sadoc patet, quia descendebat ex Aaron per familiam Eleazar, ut habetur *{I Par.* 24, 1-3), et ille præerat cæteris omnibus. Abiathar autem erat summus sacerdos, qui descendebat ab Aaron per familiam Ithamar, qui etiam cæteris omnibus præfuit usque ad Salomonem qui eum deposuit, et posuit Sadoc pro eo ut habetur (III *Reg.* 2, 26-27). Et fortius hoc urget, quia ut ibidem (I *Par.* 24, 6) dicitur: *Domus Eleazar præerat cæteris,* et *{Num.,* 25,12) constat quod domui Eleazar per Phinees promissum est pactum sacerdotii sempiternum; unde non potuit deficere quin Sadoc, descendens ab Eleazar et a Phinees, esset summus sacerdos: et tamen invenimus Heli

[1] PG 60, 36.

et Achimelech et Abiathar tempore David fuisse summos sacerdotes, qui descendebant per Ithamar ut habetur (I *Par.* 24, 1-3), et Abiathar fuisse summum sacerdotem constat, quia, ut vidimus ab eo officio depositus est a Salomone. Ergo non fuit primatus sacerdotii in uno tantum in Lege Veteri, ergo neque in Nova constitui debet. *n 449

©

707 XXII. **Respondetur** ex dictis omnibus Apostolis esse datam parem auctoritatem quasi extraordinariam et delegatam in ratione apostolatus, non tamen æqualem in ratione ordinariæ potestatis ad gubernandam Ecclesiam. *n 667

708 Quod autem dictum sit omnibus *(Mat.* 18, 18): *Quæcumque alligaveritis,* non est dictum illis et eorum successoribus tamquam supremis potestatibus, sed ut ministris ligandi et solvendi, dependenter tamen ab una suprema potestate cui claves istæ solvendi et ligandi datæ sunt, scilicet Petri. Unde neque in illo loco *(Mat.* 18, 18), quando dicitur *qusecumque alligaveritis,* etc. dicitur dari eis claves sicut Petro, sed ministerium ligandi et solvendi, quod verissimum est.

709 Patres autem qui in argumento proferuntur, aperte pro nobis sunt, quia ita dicunt Apostolos fuisse pares in honore et potestate, quod tamen habuerunt unum caput ut unitas servaretur, et schismatum tolleretur occasio, ut patet in illis ipsis verbis Hieronymi, Leonis et Cypriani, qui ibi citantur: utrumque enim dicunt ibidem. Illa autem verba Clementis apud Eusebium existimat Bellarminus [1] non esse legenda quod Jacobus fuit constitutus episcopus Apostolorum, sed episcopus Jerosolymorum, quod verum est. *n·702-3 *"■703

[1] *De Romano Pontifice,* Lib. I, cap. 26.

710 XXIII. *Ad confirmationem* respondetur magnam esse difficultatem apud sacros interpretes de illis duobus summis sacerdotibus Sadoc et Abiathar, qui fuerunt tempore Davidis. Et omnes videntur supponere tunc in rei veritate duos fuisse summos pontifices, id tamen non secundum legem ordinariam factum, nam Lex omnia quæ loquitur de summo sacerdote, tamquam de uno loquitur (ut *Exod.* 29, *Levit.* 21, *Num.* 18). — Idque constat ex linea et successione summorum pontificum, qui fuerunt octoginta duo ab Abraham usque ad ultimum, quando incensa est civitas et templum, tempore Titi, sicut late illos numerat Abulensis.

711 Cum ergo solum tempore David inveniamus simul duos summos sacerdotes, quidam existimant id non jure fuisse factum, sed injuste fundari forsitan in eo quod dicit Augustinus *(Quæst. in Heptat.,* Lib. II, q. 23, super *Levit.* 4, 3-7) [1], quod ex contentione contigit plures fuisse summos sacerdotes, quia "contendentibus excellentioribus, litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur". Abulensis supra (I *Par.* cap. 24, q. 14) existimat aliqualiter factum fuisse contra legem, in eo quod essent duo summi pontifices, quamquam Davidem excusat quod ipse non illos fecit, sed toleravit, quia non videbat quomodo eis auferre posset jus suum. Mendoza (I *Reg.* II, num. 32) existimat ex divina ordinatione fuisse duos illos summos sacerdotes, quia unusquisque in suum habebat. Alii denique existimant non fuisse utrumque summum sacerdotem, sed unum se habuisse tamquam coadjutorem aut vicarium alterius, sicque mansisse semper unum supremum caput inter sacerdotes.

712 XXIV. *Existimo* tamen juxta dicta Abulensis et Augustini [2], contigisse tunc duos fuisse summos sacerdotes ex

1 PL 34, 685.
2 *Ibid.*

aliquo rationabili dubio, propter quod ignorabatur seu non plene discernebatur jus utriusque ad summum sacerdotium, quousque tempore Salomonis, aut paulo ante, judicatus est Sadoc verus et legitimus sacerdos, cui de jure competebat. Sicut etiam de tempore Concilii Constantiensis, in illo gravissimo schismate, tres fuerunt Papæ simul, quorum quilibet habebat suum jus prætentum, et tolerati fuerunt sic quousque, omnibus abdicatis, Martinus V creatus est.

713 Sic ergo dicendum fuisse tunc dubium de jure utriusque ad summum sacerdotium tempore Davidis, et durante illo permissos fuisse duos in titulo summi sacerdotii. Dubium autem inde ortum erat quod, cum essent duæ familiæ descendentes ab Aaron [»], una per Eleazar, altera per Ithamar, summum sacerdotium primo annexum fuit familiæ Eleazar in qua duravit usque ad tempora Samsonis, ut docet Abulensis (III *Reg.* 2, q. 30). Tunc autem propter peccata illorum aut ineptitudinem cessavit in filiis Eleazar summum sacerdotium ex Heli voluntate, et transivit ad Heli de familia Ithamar, et in linea seu progenie Heli aliqui habuerunt summum sacerdotium usque ad mortem Achimelech, quem interfecit Saul (I *Reg.* 22, 11-23) in odium David.

714 Exinde orta est divisio eo quod Abiathar, filius ejus Achimelech, fugit ad David, ab eoque retentus est in officio, eo jure quia erat filius ejus qui summo sacerdotio functus fuerat. Sadoc vero apud Saulem eo jure intravit, quia, interfectis a Saule sacerdotibus descendentibus ab Heli, redibat summum sacerdotium iterum ad familiam Eleazar, videbaturque habere potius jus propter pactum factum a Deo cum Phinees filio Eleazari, quod in domo ejus perpetuo maneret sacerdotium. Cum ergo David successisset Sauli,

» I *Par.* 24.

uterque istorum in officio toleratus est, quamdiu jus eorum non fuit ita clarum, quamquam postea inceperit clarescere jus Sadoc quando David constituit ut familia Eleazari præesset cæteris (I *Par.* 24, 6). Et deinde declinante i Abiathar post Adoniam contra Salomonem, unctus est Sadoc in pontificem (I *Par.* 29, 22) ; tandemque executive a Salomone ejectus est Abiathar, seu declaratus non esse pontificem, sed solum Sadoc (III *Reg.* 2,26-27), quod a Salomone factum fuisse erga Abiathar, auctoritate prophetica magis quam regia, judicat Innocentius III (c. 6, X, *de majoritate el obed.,* I, 33) ».

i : o

715 XXV. *Quod si inquiras:* Quisnam esset pontifex pro illis qui credebant extra Judæos, et habebant veram fidem • Dei, et utebantur sacramentis legis naturæ pro justificandis parvulis. Nec enim isti subdebantur sacerdotio Judæorum et tamen poterant veram fidem habere; ergo non obstat unitati fidei pluralitas sacerdotii et supremi capitis in rebus fidei.

716 *Respondetur* incertum esse quomodo in illo statu naturæ, qui valde imperfectus erat, gubernabatur ordo ecclesiasticus et religio fidei. Fortasse enim in his quæ dubia erant per prophetas instruebantur homines magis quam per ponti- a fices. Erat enim tunc valde implicita fidei doctrina, nec tamen ante Legem defuit sacerdotium, nam Melchisedech fuit sacerdos [3], et Enos coepit invocare nomen Domini (*Gen.* 4, 26). In his ergo qui extra Judæos manserunt cum cognitione veri Dei et cæremoniis legis naturæ, sacerdotium, si quod fuit, permanebat in primogenitis, et quia erat lex

› III Reg. 2, 13-25.
2 RF II, 197.
' Gen. 14,18.

diversa apud Judæos, diversum quoque erat sacerdotium, quia translata lege transfertur sacerdotium, ut dicit Apostolus *(Heb.* 7, 12).

717 De modo autem consulendi dubia in rebus fidei, an ipsis per prophetas vel revelationis oracula provideretur, vel alio modo, incertum est. Hoc tamen non obstat unitati fidei, nam illis gentilibus quibus magis explicabatur fides per revelationem extraordinariam quasi per modum prophetiæ fiebat, ut censet D. Thomas *(De Ver.* q. 14, a. 11, ad 1), quibus autem non fiebat ista revelatio, salvabantur per fidem implicitam, et poterant consulere prophetas illos, sicut etiam apud Judæos fuerunt prophetæ, etsi sacerdotes essent.

44

718 XXVI. **Secundo arguitur** ex capite *Olim* (c. 5, D. XCV) [1], ubi S. Hieronymus[2] manifeste dicit superioritatem unius episcopi super presbyteros introductam esse jure positivo, seu consuetudine, non vero jure divino, sed fuisse omnes æquales.

719 Ergo standO in jure divino non repugnat auctoritatem gubernandi Ecclesiam aut determinandi res fidei esse in pluribus: "Olim, inquit, Hieronymus, idem erat presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent, . . . communi presbyterorum concilio ecclesiæ gubernantur". Et infra: "Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in communi debere ecclesiam

1 RF 1, 332-333.
2 In *TU.,* super 1, 5, PL 26, 596.

regere." Ergo si regimen Ecclesiæ communiter pertinet ad episcopos et presbyteros, et solum consuetudine quadam sunt episcopi superiores, ergo et auctoritatem determinandi res fidei super alios presbyteros, episcopi ex consuetudine solum habere possunt: ex se autem omnes[1] id haberent attendendo ad jus divinum.

720 Idem habet Hieronymus (Epist. CXLVI *Ad Evangelum*)[2], ut habetur in capite *Legimus* (c. 24, D. XCIII)[3]. Idem etiam videtur sentire Ambrosius (I *Tim.* super 5)[4]: "Et synagoga, inquit, et postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur". Et Origenes (In *Mat.* T. XII, n. 10-11)[5]: "Petra, inquit, est omnis qui imitator est Christi, ... et supra omni hujusmodi petra aedificatur Ecclesia Dei... Si autem super illum unum Petrum arbitraris universam Ecclesiam ædificari: quid dices de Jacobo et Joanne, vel de singulis Apostolis"?

721 *Confirmatur* etiam ex illis verbis (Ac/. 20, 28): *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam, Dei,* ubi non unum episcopum universo gregi et Ecclesiæ, sed multos regimini ejus præponit. Ergo hæc auctoritas non est penes unum.

Θ

722 XXVII. **Respondetur** quod attinet ad Hieronymum, ipsum pluribus in locis sensisse debere dari superioritatem in episcopis respectu aliorum sacerdotum, ut (Epist. LII

[1] Tam præsbyteri quam episcopi.
[2] PL 22, 1192-1195.
[3] RF 1, 327-329.
[4] Id est Ps. Ambrosius (Ambrosiaster), PL 17, 502.
[5] PG 13, 998-999.

Ad Nepotinianum)[1] ubi dicit hoc esse modo episcopos et sacerdotes, quod Aaron et filii ejus erant; et (Epist. *Ad Rusticum')*[2] debere esse in Ecclesia unum quem omnes sequantur ostendit; et *{Dial, contra Luciferianos)*[3]: "Quod Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficiuntur schismata quot sacerdotes". Cæterum, licet hoc senserit Hieronymus, difficile tamen est planum sensum reddere illis verbis quæ in argumento citantur, et varie expositores in eorum explicatione torquentur.

723 Bellarminus *{De Romano Pontifice,* Lib. I, cap. 8) dicit quod Hieronymus videtur in ea fuisse sententia, ut existimaret episcopos quantum ad jurisdictionem esse majores presbyteris de jure ecclesiastico, quod tamen est falsum. Additque Hieronymum solum loqui de particularibus ecclesiis, non de regimine Ecclesiæ universalis.

724 Similiter Castro *{Contra Hæres.* Lib. VI, verbo *episcopus),* Hieronymum in illa sententia falli existimat, nec eum excusat nisi forte quia illa doctrina nondum fuerat in quæstionem deducta, nec ab Ecclesia definita. Cæterum in hoc plane deceptus est Castro. Quomodo enim ignorare potuit Hieronymus recentem tunc hæresim Arianorum, qui, ut refert Augustinus *{De Hæres.,* 53)[4], dicebant presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. Augustinus autem contemporaneus fuit Hieronymi, et ideo, si Hieronymus hanc doctrinam tenuit, erravit in doctrina quæ in quæstionem fuerat mota, et ab Ecclesia definita, seu in

1 PL 22, 527-540.
2 Hæc epistola *ad Rusticum,* seu libellum de septem ecclesiæ gradibus, est spuria; cf. c. 6, D. XCV, RF 1, 333-334.
3 PL 23, 164.
4 PL 42, 40.

hæresim redacta, cui nullo modo favisse Hieronymum putandum est.

725 Unde Hieronymum ad rectum sensum interpretatur Turrecremata super dictum caput *Olim* (c. 5, D. XCV)[1], quod, quando dicit Hieronymus olim idem fuisse presbyterum, qui et episcopum, loquitur de appellatione et nomine, non de potestate et ordine: eodem enim vocabulo communiter censebantur, non tamen eamdem potestatem habebant. Postea vero, ne schismata fierent, etiam in vocabulis et appellatione distinctio facta est. Et quando dicit quod *in communi* tractabantur negotia, non loquitur quantum ad praelationem, sed quantum ad consilium tractatum et consensum, quia multa non potest episcopus sine presbyteris et clericis facere.

726 XXVIII. Quare his omnibus relictis, existimo sensum S. Hieronymi accipiendum esse ex his quæ docet (Epist. LH *Ad Nepotinianum*)[2], et (Epist. *Ad Rusticum*) ut citatur in capite *Ecce ego* (c. 6, D. XCV)[3].

727 Sensus ergo Hieronymi est reprehendere in duobus quorumdam episcoporum arrogantiam qui volentes dominari in clerum[4], nec permittebant presbyteros in Ecclesia docere, nec in negotiis ecclesiarum se immiscere, cum tamen ab initio per eos negotia ista tractarentur; quia, ut dicitur in dicto capite *Ecce ego*[5], presbyteri ab initio judices negotiorum esse mandati sunt, sicut nunc etiam videmus quod multa quæ pertinent ad negotia Ecclesiæ et ejus temporalem

1 RF I, 332-333.
2 PL 22, 527-540.
3 RF 1, 333-334.
4 Cf. I *Pet.* 5, 3.
5 RF 1, 333-334

gubernationem, non episcopus facit, sed capitulum. De ista ergo gubernatione negotiorum loquitur Hieronymus, et etiam de potestate docendi quando dicit[1] quod "olim idem erat presbyter, qui et episcopus", quod in communi gubernabantur ecclesiæ, gubernatione scilicet temporalium, et quoad negotia quæ etiam in Conciliis provincialibus aut synodalibus aliquando agitabantur, in quibus interesse debebant presbyteri, etsi non eodem modo suffragium ferre.

728 Unde et Hieronymus ipse dicit in dicta epistola ad Rusticum cum episcopus loquens[2]: "Dominici patrimonii damna conquiritis, dum soli vultis in Ecclesia potentari", et (Epist. *ad Nepot.* n. 7)[3]: "Pessimæ consuetudinis, inquit, est in quibusdam ecclesiis, tacere, presbyteros, et præsentibus episcopis non loqui, quasi eis invideant".730

729 Igitur, quia forsitan ex communi illa gubernatione episcopi et presbyterorum aliqua occasio schismatum oriebatur, introducta est major aliqua episcoporum superioritas in regendis Ecclesiæ negotiis et patrimonio, qua postea episcopi aliqui abutebantur, contra quos Hieronymus invehitur, quasi id habeant ex Ecclesiæ consuetudine, non ex determinatione divina. Verum est aliquando velle eos æquiparare in nomine et appellatione presbyteri, quasi idem sit presbyter quod senior, sicque illud nomen convenire episcopis, ut capite *Legimus* (c. 24, D.XCIII)[4]: sed hoc non obstat nostro proposito.

730 Idem etiam est sensus verborum* Ambrosii[5]. Orige- *n. 720

1 In *Tit.,* super 1, 5, PL 26, 596.
2 c. 6, D. XCV, RF I, 333.
3 PL 22, 534.
4 RF 1, 327-329.
5 In I *Tim.* super 5, 1, PL 17, 502.

nesi autem magis loquitur secundum sensum mysticum quam litteralem.

731 *Ad confirmationem* respondeo Apostolum dicere in plurali episcopos regere Ecclesiam Dei, quia includit et supremum caput et reliquos principaliter gubernantes, qui sunt vocati in partem sollicitudinis habentque suas peculiares ecclesias, licet non in plenitudinem potestatis respectu totius Ecclesiæ: sicut si diceremus exercitum regi a ducibus, non proinde excluditur supremus dux. *n. 721

I

44

732 XXIX. **Tertio arguitur:** Nam si esset necessaria ista suprema auctoritas in uno, maxime esset ut servaretur *unitas Ecclesiæ* ratione unius capitis. Sed ad hoc non requiritur. Ergo. *Minor probatur. Primo* nam Ecclesia habet unum supremum caput quod est Christus; Pontifex autem et episcopi sunt ejus vicarii in terris, sed in aliqua monarchia sufficienter salvatur unitas ratione unius supremi regis, licet ejus vicarii et proreges multi sint, quorum singuli habent in suo vicariatu independentem potestatem. Ergo, licet ad salvandam unitatem Ecclesiæ sit necessaria unitas capitis supremi, non tamen exigitur unitas in eo qui gubernat tamquam vicarius hujus capitis. *n-733q

733 *Secundo*[1], quia Ecclesia, seu regimen ecclesiasticum, diffunditur per totum mundum, sicut et regimen politicum. Sed sufficientissime providetur regimini politico per hoc quod sint plures reges pro diversis regnis quorum unus ab alio non pendeat. Ergo sufficienter etiam providetur regimini ecclesiastico si sint plures potestates supremæ, puta plures archiepiscopi vel primates, quorum singuli in suis provinciis *n-740

1 In *Mat.* T. XII, n. 10-11, PG 13, 99S-999.

habent independentem auctoritatem et supreman in gubernatione Ecclesiæ et determinatione rerum fidei.

734 Neque ex hoc destruitur *unitas fidei: tum* quia non minor unitas fidei fuit in primitiva Ecclesia quam modo, et tamen tunc potestas apostolica, quæ est suprema in regimine Ecclesiæ (dicente Paulo I *Cor.* 12, 28: *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolus, deinde prophetas,* in quibus verbis denotatur auctoritatem apostolicam primam esse in Ecclesia), fuit in duodecim hominibus, et non in uno solo, licet unus fuerit ordinarius pastor Ecclesiæ (ut Paulus dicebat ad se attinere sollicitudinem omnium Ecclesiarum II *Cor.* 11, 28). Ergo neque pariter unitas fidei [destrueretur] si eadem potestas apostolica in successoribus continuaretur, et non solum in successore Petri.

735 *Tum etiam* quia, si plures primates haberent supremam auctoritatem in proponendis rebus fidei, semper idipsum dicerent, et consequenter maneret eadem fides, licet a pluribus determinaretur. Sicut etiam in Concilio generali eadem fides determinatur et docetur, licet plures sint qui ad illud conveniant. Ergo ex unitate fidei non sufficienter probatur unitas capitis Ecclesiæ. *ll.

736 Et denique confirmatur ex illo difficili loco apud Concilium Nicænum ubi (can. VI) [1] sic dicitur: "In Aegypto, Libya et Pentapoli, Alexandrinus episcopus omnem habebat potestatem, quia Romano quoque episcopo hæc consuetudo est". Ergo æqualis potestas tribuitur Alexandro episcopo quoad illas provincias ac episcopo Romano, et sic non repugnat apud plures esse supremam potestatem in Ecclesia. *744

Θ

1 Msi II, 670.

737 XXX. **Respondetur negando minorem.**—*Ad primam probationem* dicitur, non solum Ecclesiæ unitatem requirere unum supremum caput absolute et in omni genere prout comprehendit omnes status Ecclesiæ sive in terris sive in coelis, sed etiam unum supremum caput in statu visibili et in regimine visibili hujus vitæ (quia Ecclesia est unum corpus visibile): siquidem etiam regimen quod Ecclesia habet pro isto statu, ad unitatem reducitur, quia habet unam legem, unam fidem, eadem sacramenta et ritus, unde Apostolus probat esse unum corpus quia[1]: *Uno pane, et uno calice participamus.*

738 Si ergo forma regiminis una fuit, oportuit ad hanc servandam unitatem unum esse principatum seu sacerdotium visibile, nec per plures supremas potestates inter se independentes gubernari, ut ostensum est. Pontifex enim in Ecclesia militanti ita est vicarius Christi Domini, quod in genere gubernationis visibilis est suprema potestas: sicut reges in temporalibus sunt vicarii Dei, ita tamen quod sunt etiam supremi in genere temporalis gubernationis.

739 Unde in his non tenet similitudo in argumento allata de uno rege in regno habente plures vicarios seu proreges in diversis provinciis inter se independentes, quia illi proreges non ponuntur ad constituendam unitatem gubernationis et principatus visibilis: hæc enim in ipso rege constituitur, sed ut ministri seu officiales minus principales intra idem regnum. Pontifex autem ponitur in Ecclesia ut vicarius Christi Domini tamquam caput constitutivum visibilis principatus Christiani et sacerdotii Ecclesiæ. Unde cum Ecclesia sit visibilis respublica, remoto Pontifice, non remanet caput aliquod visibile, sed solum invisibile quod est Christus.

[1] I *Cor.* 10, 17.

Unde non servaretur unitas principatus visibilis, licet servatur unitas in alio superiori genere, sicut si non esset rex non servaretur unitas in genere temporalis regiminis, licet maneret unitas in genere regiminis Dei super totum universum.

740 XXXI. *Ad secundam probationem* respondetur constare ex dictis disparitatem rationis inter regimen politicum, temporale et ecclesiasticum. Nam in *temporalibus* non est unitas principatus nec una lex pro omnibus regnis, et ideo non est mirum quod per diversos reges gubernetur. In *spiritualibus* autem habemus unam fidem, unum sacerdotium, eosdem ritus, legem et sacramenta, et sic oportet etiam unum habere caput et principem totius hujus regiminis. *π.

741 Ad id vero quod additur impugnando rationem deductam ex *unitate fidei, respondetur* in primitiva Ecclesia fuisse auctoritatem apostolicam in pluribus quasi extraordinarie et delegatam propter necessitatem fundandi Ecclesiam tunc in toto mundo, cum respectu tamen et ordine ad unum caput quod pasceret omnes oves Ecclesiæ, et propterea apostolica auctoritas *ordinario modo* et ut pertinebat ad regimen Ecclesiæ etiam tunc fuit in uno, ut supra probatum est. *Extraordinario tamen modo* non est inconveniens fuisse in pluribus propter necessitatem illius temporis, nempe fundationis Ecclesiæ, qua remota [necessitate], mansit potestas apostolica solum in uno capite. *“. 734 *n. 667 sq.

742 Et *sicut* etiam in prophetis et scriptoribus canonicæ Scripturæ, fuit auctoritas tradendi res fidei quasi fundandi illam, qui tamen fuerunt plures, hoc ideo est quia auctoritas fundandi fidem aut prophetandi, etc. respicit unitatem fidei quatenus solum tenet se ex parte Dei revelantis aut dictantis, ex qua parte semper est una, licet sint multi per quos

loquatur; *ita* auctoritas determinandi dubia fidei et confirmandi in illa fide respicit tollere divisionem et schismata ex parte nostri, ad quod requiritur ut idipsum dicamus omnes, quod fieri non potest nisi illi qui infallibiliter dubia fidei determinat omnes subdantur.

743 Quod autem id possit convenire Concilio generali, jam explicatum est convenire Concilio non absolute, sed dependenter ab uno capite congregante Concilium et confirmante quæ in eo fiunt. *n. 479 480

744 XXXII. *Ad confirmationem* respondetur illum canonem Nicæni Concilii aliquibus Græcis ansam praebuisse ut existimarent Romanam Ecclesiam a Nicæno Concilio primatus sui privilegia accepisse, cum tamen de jure divino illi esse collata constet, ut infra ostendimus, et late docet Nicolaus Papa I (Epist. VIII *ad Michælem Imperatorem*) [1]. Occasio autem deceptionis forsitan inde emanavit, quod canon iste sextus mutilus circumfertur communiter inter viginti vulgatos canones Concilii Nicæni. *n. 736 ** 827 sq.

745 Plures [2] autem canones editos fuisse usque ad numerum LXXX vel LXX constat: *tum* ex epistola Athanasii *ad Marcum Papam* [3], si tamen ejus est illa epistola [4]. *Tum* ex epistola II Julii Papæ (Epist. II, *Ad episcopos orientales,* cap. 11) [5] in causa Athanasii, et fortassis hæretici Ariani Concilii exemplaria aut combusserunt aut corruperunt; et cum octoginta canones, qui ad numerum septuaginta redacti sunt, in ipso Concilio editi fuerint, ut testatur ipse Athana-

1 PL 119, 938 sq.
2 Circa numerum canonum Nicæni Concilii, cf. Hef.-L., I, 503-528.
3 c. 12, D. XVI, RF I, 49; PG 28, 1445.
4 Cf. Hef.-L., I, 390, note 3.
5 PL 130, 628; Msi II, 1182.

sius epistola citata ad Marcum Papam et ex rescripto ejusdem Marci Papæ ad Athanasium constat[2], viginti tantum vulgariter circumferebantur, quos videntur Ariani non potuisse aut non curasse supprimere.

746 Inter hos autem viginti canones sextus ille qui de primatu Romani episcopi loquitur, non integre recitatur communiter. Nam in Concilio Chalcedonensi (*Act.* XVI)[3], aliter recitatus est hic idem canon a Paschasino legato Sedis Apostolicæ quam a Græcis: "Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum; teneat autem et Aegyptus, ut episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam et Romano episcopo hæc consuetudo est". Græci autem omiserunt illam primam clausulam, ex qua tamen primatum Romani episcopi semper fuisse in Ecclesia nec ab ipsa Nicæna Synodo institutum clarissime constat. Citantur etiam a Julio Papa in epistola supra dicta[3] multi canones Nicænæ Synodi, in quibus primatus Romanæ Ecclesiæ non solum supra vicinos episcopos, ut male interpretatus est Rufinus[4], sed supra omnes episcopos asseritur, dum ad ipsum omnium causæ episcoporum deferuntur, et appellatur universalis Ecclesiæ episcopus.

747 Quod vero in illo canone sexto, Alexandrinus episcopus decernitur omnium per Aegyptum habere potestatem, sicut Romano episcopo consuetudo est, non in primatu aut suprema potestate cum Romano parificatur, sed determinatur in quas ecclesias Alexandrinus episcopus habeat patriarchalem potestatem, scilicet in omnes ecclesias Aegypti. Hæc enim causa tunc tractabatur in Concilio contra Meletium quem-

[2] c. 14, C. XXIV, q. 1, RF I, 969-970; PG 28,1447.
[3] Msi II, 687; cf. Hef.-L,, I, 566.
[3] Msi II, 1182.
[4] *Hist. Eccl.* Lib. I, cap. 6, PL 21, 472; cf. Hef.-L., I, 563.

dam », nempe quænam ecclesiæ deberent subesse episcopo Alexandrino. Et ita sententia lata est pro ipso ut in omnes ecclesias Aegypti ejus extenderetur patriarchatus, quoniam ea est consuetudo Romani episcopi, ut scilicet habeat potestatem patriarchatus super Ecclesias: ubi comparatio fit quantum ad hoc præcise quod est habere jus patriarchatus firmum et certum, non quoad modum habendi illum, scilicet quoad universalitatem potestatis super omnes ecclesias.

748 XXXIII. Scio aliam interpretationem adhibere Bellarminum[2], scilicet sensum illius canonis esse episcopo Romano hunc esse morem, quod ex ejus indulgentia Alexandrinus episcopus ecclesias illas regat. Sed quidquid sit de hac explicatione, nostra quam adhibemus satis videtur indicata a Nicolao I *(Epist.* VIII) ubi loquens de Nicæna Synodo sic ait[3]: "Si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quod Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum".

749 Intelligitur ergo canon Nicænus de parificatione Alexandrinæ Ecclesiæ cum Romana quantum ad forman et jus patriarchatus, quod habeat sibi ecclesias subjectas sicut Romana differenti tamen modo, cum una universalis sit, alia particularis Ecclesia[4]. Videatur Reverendissimus Massiliensis *(De Monarchia Ecclesiæ,* IIa Pars, Lib. 4, cap. 2).

* *

1 Cf. Hef.-L., I, 448-503.

2 *De Romano Pontifice,* Lib. II, cap. 13, Expos. 4.

• Msi XV, 196 sq.

4 Pro illa discussione circa sextum çanonem Nicæni Concilii, çf. Hef.-L., I, 552-569,1182-1202.

750 XXXIV. **Quarto denique arguitur** quasi auctoritate negativa. Nam Apostolus enumerans omnes partes Ecclesiæ *{Eph.* 4, 11), et (I *Cor.* 12, 28), nusquam meminit unius summi Pontificis, sed solum Apostolorum, prophetarum, doctorum, etc. et solum admonet servare unitatem Spiritus in vinculo pacis u *Quia unum sumus corpus, et unus spiritus,* non autem dixit unus Pontifex maximus.

751 Similiter omnes Apostolos Christus æqualiter misit, et dedit eis Spiritum *{Joan.* 20, 21) : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*

752 Omnibus etiam prohibuit habere modum imperandi sicut reges, quod est regimen monarchicum *{Luc.* 22, 25): *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Et certe si Christus Dominus unum caput omnibus Apostolis et Ecclesiæ præficeret, non esset causa cur discipuli contenderent[2]: *Quis eorum videtur esse major.* Ergo non est reducenda summa potestas Ecclesiæ ad unum, sicut regia potestas ad regem.

753 XXXV. *Confirmatur primo,* quia non potest sine miraculo tota Ecclesia per orbem ab uno solo gubernari, cum nec Moyses potuerit unicum populum gubernare solus, ut habetur *{Exod.* 18, 17-26) et *{Num.* 11, 24-25). Ergo multo minus potest modo Ecclesia ab uno solo capite gubernari.

754 *Confirmatur secundo,* quia ubi est regimen monarchicum, n. 759
omnes qui sub tali regimine gubernant sunt quasi vicarii regis et loco ipsius, seu quasi ministri regiminis; sed in Ecclesia episcopi vere gubernant et regunt Eççlesiam, ut dicit

[1] *Eph.* 4, 4.
[f] *J\4arc.* 9. 33.

Apostolus *{Act.* 20, 28), et tamen non sunt vicarii Papæ, sed potestatem habent quasi jure divino; alias essent solum legati Pontificis pro illa ecclesia quam regunt, quod est plane falsum. Et ideo in capite *Nullus,* et capite *Ecce* (c. 4, D. XCIX et c. 5, D. XCIX)[1] prohibetur ne quis etiam Romanus Pontifex universalis pontifex appelletur, quia si esset universalis, cæteri non essent episcopi, quod desumptum est ex D. Gregorio *(Eulogio Patriarchae Alexandrino,* Lib. VIII, epist. 30) [2]. ¶ 877

Θ

755 XXXVI. **Respondetur** in illis auctoritatibus negativis non negari unitatem pontificatus et supremam ejus potestatem in Ecclesia. Nam quando Apostolus in illis locis enumerat inter Ecclesiæ partes, Apostolos quos primo loco ponit, ibi indicat supremam auctoritatem apostolatus in Ecclesia, quæ extraordinarie erat in pluribus, ordinarie autem in uno, ut dictum est. ¶ 750 ¶ 667 sq

756 Christus autem mittendo omnes Apostolos ut legatos suos non negavit in uno esse potestatem supreman *ordinarie.* ¶ 751

757 Et quando prohibuit modum imperandi sicut reges terræ, non unitatem capitis prohibuit, nec superioritatem in Ecclesia, sed dominandi ambitionem et libidinem restrinxit, docens ad hoc non esse aliquem superiorem ut dominetur, sed ut ministret et serviat his quibus superior existit. Expresse enim Christus in eo loco superioritatem agnoscit in suis dum dicits: *Qui major est in vobis, fiat sicut minister.* [3] fn. 752

[1] RF I, 351.
[2] Msi X, 105.
[3] *Luc.* 22, 26.

758 Quod autem additur non posse sine miraculo totam Ecclesiam in orbe diffusam ab uno gubernari, *respondetur* id esse verum si solus Papa haberet curam omnium ecclesiarum in particulari, et non essent alii episcopi, qui vocati sunt in partem sollicitudinis, per quos singulæ ecclesiæ reguntur, etsi dependenter ab uno supremo episcopo. Sicut etiam Moyses non poterat solus totum populum regere quamdiu omnia negotia in particulari audiebat; quando vero reservavit sibi solum majora negotia, et pro expeditione reliquorum constituit tribunos et ministros, optime potuit totum pondus regiminis ferre, ut constat *(Exod.* 18, 17-26) et *{Num.* 11, 24-25). Præterquam quod etiam ab uno major pars orbis gubernata est etiam in regimine politico, sicut patet tempore Augusti Cæsaris, de quo dicitur *{Luc.* 2, 1): *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Quid ergo mirum si assistente Spiritu Sancto gubernationi Ecclesiæ possit ab uno tota Ecclesia regi?759 *n. 753

759 XXXVII. *Ad confirmationem* respondetur* non omnes qui gubernant sub uno capite supremo debere esse vicarios et ministros ipsius monarchiæ, sed sufficit habere auctoritatem dependentem ab illo, et quæ possit extendi aut restringi ab ipso, possitque causas eorum cognoscere, et si opus sit amovere. Sicut etiam in politicis monarchiis, præsertim in Romano imperio, multi fuerunt reges aut principes subditi imperatori et ipsius feudatarii, non tamen in suo regimine aut principatu se habebant ut vicarii aut proreges vel præsides, sed ut veri reges aut principes, cum dependentia tamen ab illa superiori potestate, sicut Herodes rex subditus erat Cæsari Augusto, et multi alii similes inveniuntur. Sic ergo episcopi vere sunt gubernatores ecclesiarum, non ut legati aut vicarii Papae, sed ut ordinarii, dependenter tamen a Papa. *n. 754

ARTICULUS IV

OSTENDITUR SUPREMAM HANC POTESTATEM ESSE IN EPISCOPO URBIS ROMÆ.

% % *

760 I· Pars ista articulo praecedenti insinuata, in præsenti *· 649
tractanda venit, hanc videlicet supremam potestatem determinandi res fidei ita esse in uno, quod ille sit episcopus Romanus. Siquidem, si in uno esse debet hæc potestas, oportet designare quisnam ille sit. Et potest difficultas in præsenti oriri vel ex communibus, vel ex particularibus.

761 *Ex communibus* quidem procedunt aliqui hæretici quatenus negant posse aliquem hominem determinare res fidei, quia id solum pertinet ad Verbum Dei et ad Spiritum Dei, non ad auctoritatem alicujus hominis quæ nos cogere possit ad hoc vel illud credendum. Et hæc sunt communia, quia non solum in Romano Pontifice, sed in nullo altero homine hanc potestatem esse fatentur, et ita in superioribus[1] jam soluta et explicata sunt, nec aliquid addendum superest quod peculiarem difficultatem faciat.

627 *Ex peculiaribus* autem procedere potest hæc difficultas quatenus aliqui negant Petro esse datam hanc supremam auctoritatem et potestatem pro se et successoribus. — Alii

[1] Cf. Art. I et II.

negant successorem Petri pro universali ista potestate esse designatum Romanum episcopum. — Alii negant Romanum Pontificem errare non posse, sed multos afferunt errores diversorum Pontificum, et consequenter non habere infallibilem auctoritatem determinandi res fidei. — Denique alii putant hanc auctoritatem in Romano episcopo non semper durasse, sed extinctam jam esse.

* * *

763 Igitur hæc omnia refellenda sunt, ut ostendamus supremam hanc potestatem vere permansisse et permanere in Romano episcopo, qui non solum illius Ecclesiæ, sed totius Ecclesiæ episcopus est, succedens Petro tam in episcopatu urbis Romæ, quam in universali Ecclesiæ regimine.

764 II. **SIT ERGO CONCLUSIO: Romanus episcopus est successor beati Petri, non solum in episcopatu urbis Romanæ, sed etiam in universali regimine totius Ecclesiæ; ita quod ipse est suprema regula in definiendis rebus fidei, quæ nunquam deficere potest cum ex cathedra docet duratque hæc potestas quamdiu Ecclesia durabit** ñ. 888sq. ñ. 891 sq.

765 Hæc conclusio, quantum ad fideles catholicos, sufficienter probatur ex definitione Ecclesiæ, quia illa definita est tamquam de fide. Exstat in Concilio Florentinol, in litteris sanctæ unionis, ista definitio per hæc verba: "Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et

1 Msi XXXI, 1031; ex Bulla *Laetentur cceli,* 6 Julii 1439.

omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse".

766 Item in Extravagant! *Unam sanctam* (c. 1, *de majoritate et obed.,* I, 8, in Extravag. com.) sic determinat Bonifacius VIII: "Est hæc auctoritas, etsi data sit homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibi suisque successoribus". Et infra: "Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis".

767 Videri etiam potest Nicolaus II Papa, in capite *Omnes* (c. 1, D.XXII)[2], ubi dicit: "Qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur,. . .et dicendus est hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit quæ est mater fidei".

* * *

768 III. Contra hæreticos autem hæc conclusio per suas partes probanda est, simulque refellenda sunt ea quæ contra Romani episcopi primatum opponere solent. *n. 764

* * *

769 *Prima ergo pars conclusionis* et fundamentum cæterarum partium est Romanum episcopum esse successorem n. 888 sq.; 891 sq.

[1] RF II, 1246.
[2] RF I, 73.

beati Petri in utraque potestate, scilicet episcopatus Romæ, et primatus respectu universalis Ecclesiæ. Quæ conclusio ex duabus præmissis pendet, scilicet *ex majori:* hanc potestatem datam esse Petro pro se et suis successoribus; et *ex minori* quod Petrus hanc successionem alligavit episcopatui urbis Romæ. Ex hoc enim infertur evidenter ipsum Romanum episcopum esse successorem Petri in suprema potestate regendi totam Ecclesiam.

Θ

770 **Major** hujus syllogismi non habet difficultatem in eo ñ. 773
quod Petro, ut singulari personæ, data sit hæc potestas sicut et cæteris Apostolis ad minus. Constat enim Paulum habuisse potestatem super omnes Ecclesias juxta id quod ipse dicit (II *Cor.* 11, 28) ad se pertinere sollicitudinem omnium ecclesiarum. Ergo Petrus minorem potestatem habere non debebat, saltem ut singularis persona.

771 Et ex ipso munere seu dignitate apostolatus manifeste deducitur. Nam, ut optime notat S. Thomas (In I *Cor.,* cap. 12, lect. 3): "Ad officium apostolatus tria pertinent, scilicet auctoritas gubernandi fidelem populum; secundo, facultas docendi; tertio, potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ ... In omnibus autem potestatibus ... ordinatis, illud quod est principale reservatur supremæ potestati; alia vero etiam inferioribus communicantur. Potestas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam ... secundum illud *(Mare.* 16, 20): *Sermonem confirmante sequentibus signis.* Doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi sicut ad finem, secundum illud *(Jer.* 3, 15): *Pascent vos in scientia et doctrina.* Et ideo primus gradus inter ministeria ecclesiastica est Apostolorum, quibus specialiter competit Ecclesiæ regimen". Hæc D. Thomas,

772 Ex quo constat *primo* ipsi singulari personæ Petri datam esse hanc potestatem, quamvis Apostolus fuit sicut cæteri. *Secundo* autem deducitur id quod est praecipuum in apostolatu, scilicet regimen Ecclesiæ, datum esse pro successoribus; idque etiam constat ex his quæ late probavimus in præcedenti articulo ex Scriptura et Patribus.

773 Reducitur ergo difficultas illius propositionis ad probandum quod illa suprema potestas in omnes ecclesias data sit Petro pro se, et pro suis successoribus ut perpetuo maneret ecclesia. Hoc enim negat Nilus ille episcopus Thessalonicensis *(Contra primatum Papæ'),* et Calvinus *{Institutiones,* Lib. IV, cap. 6 et 8), aliique hæretici.

774 Cæterum ex his quæ præcedentibus articulis ostendimus, non erit difficile hoc etiam demonstrare.

775 Constat enim a Christo Domino institutam esse Ecclesiam, sacramenta et sacerdotium, non solum pro illo tempore quo Apostoli permansuri essent in mundo, sed etiam pro omni alio tempore, unde *{Mat.* 28, 20) dicitur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* alias modo non esset Ecclesia, neque ea quæ ad religionem Christianam pertinent. *Ergo* etiam regimen Ecclesiæ non fuit solum pro illo tempore quo duravit Petrus, sed etiam pro his qui post Petrum succedere debebant. *Ergo* potestas regendi Ecclesiam in successore vel successoribus aliquibus debebat permanere: nec enim respublica aliqua[1] seu congregatio hominum sistere potest sine aliquo regimine, et consequenter sine potestate quæ inferiores dirigat et coerceat.

[1] Cf. *Prot).* 11,14.

776 IV. Nulla *autem* alia potestas poni potest gubernativa Ecclesiæ nisi illa quæ a Christo Domino instituta est; *sed* ipse potestatem instituit solum in uno, cum dixit[1] Petro: *Pasce oves meas; Confirma fratres tuos,*[2] ut præcedenti articulo ostensum est; *ergo* hæc potestas sola est quæ perseveravit in Ecclesia post Petrum. ▪ 652 sq.

777 *Solum responderi potest.* Christum instituisse potestatem hanc in uno pro persona Petri, aliter vero providisse pro successoribus ut gubernaretur Ecclesia per multos. — Vel ipsa sibi eligeret a quo vel quibus gubernaretur. ▪ 779

778 *Sed hæc voluntarie finguntur,* et in re tanti momenti non possumus id asserere nisi ex Scriptura aut revelatione approbata, vel Traditione et doctrina sanctorum. — Nullo autem modo constat Christum Dominum, *aut* instituisse duas formas regiminis et potestatis, aliam pro Petro, aliam pro successoribus; *aut* eam quam Petro tribuit mutasse in successoribus. Quod argumentum, etsi videatur ab auctoritate negativa, efficacissimum tamen est, quia in his quæ ad fidem pertinent sine auctoritate aliquid asserere periculosum est, ut docet D. Thomas (IIa-IIæ, q. 10, a. 12; et Illa, q. 1, a. 3). Unde optime dixit Hieronymus (Epist. LXXXIV *ad Oceanum*)[3] de novis doctrinis: "Usque ad hanc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, quam a parentibus accepi, cur post quadragintos annos docere nos niteris quod antea nescivimus"?

779 Constat etiam non reliquisse Christum Ecclesiæ ut ipsi sibi provideret de modo et forma regiminis post Petrum; ▪ 777

[1] *Joan.* 21,17.
[2] *Luc.* 22, 32.
[3] RL 22, 750.

nec enim Christus Dominus perfecte provideret Ecclesiæ si relinquendo ipsi legem, sacramenta et sacerdotium, de forma regiminis non providisset, præsertim in ipso principio Ecclesiæ et post Apostolorum mortem; cum ipsa minus posset tunc sibi providere aut mutare regimen, præsertim cum constet Apostolos sollicitos fuisse de successoribus eligendis quos post se relinquerent, ut statim ostendam. n. 782sq. Ergo non reliquit Christus Dominus ipsi Ecclesiæ ut post mortem Apostolorum sibi provideret de forma regiminis, sic enim frustra Apostoli de successoribus relinquendis essent solliciti si potestas eorum ad successores non deberet transire.

780 Cum ergo inveniatur a Christo instituta una suprema potestas apostolica ad regendam Ecclesiam, et non inveniatur alia instituta aut mutata pro successoribus, et ipsi Apostoli de successoribus providerint Ecclesiæ, nec posset Ecclesia manere sine potestate gubernativa, *fit consequens* quod illa potestas suprema data sit Petro non solum pro se, sed etiam pro successoribus.781

781 Secundo* probatur eadem propositio quia tota Ecclesia fundata est super Petrum in illis verbis1: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* ut ostendimus articulo præcedenti* quod illa verba *Super hanc petram* referuntur ad Petrum. Sed Ecclesia quæ tunc fundabatur non erat solum illa Ecclesia quæ tempore Apostolorum erat duratura, sed quæ etiam post mortem Petri usque ad finem mundi duratura erat. Ergo etiam potestas illa super quam fundabatur Ecclesia non erat duratura solum in persona Petri, sed etiam in his qui successuri erant ut loco Petri Ecclesiam gubernarent. *n. 774 *n. 656 sqq

1 *Mat.* 16,18.

782 V. Et confirmatur,* quia ipsi Apostoli successores n. 774
ordinaverunt qui ecclesias regerent post ipsos tamquam præpositi et pastores; ergo potestatem habebant quam illis tribuerunt tamquam successoribus.

783 *Antecedens* constat in primis *(Act.* 20,28) : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et quod loquatur illis tamquam gubernaturis post ipsum Paulum patet ex verbis immediate subjunctis [1]: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi . . . Propter quod vigilate, etc.* Loquitur ergo de his qui habituri erant potestatem gubernandi Ecclesiam tamquam successores. — Unde et idem Apostolus formam episcoporum præscribit (I *Tim.* 3, 1-7 et *Tit.* 1, 5-9). Unde et *(Heb.* 13, 17) inquit: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, etc.* Supponit ergo auctoritatem et potestatem fore in prælatis cui tenerentur homines obedire. — Et denique (I *Pet.* 5, 2) : *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum.* Igitur potestas gubernativa ecclesiarum taliter data est a Christo quod in successores transire debebat.

784 Sed Christus non solum instituit potestatem gubernativam pro singulis ecclesiis, sed etiam potestatem gubernativam totius Ecclesiæ, cui commissæ sunt omnes oves, et confirmatio omnium fratrum, et claves regni coelestis. Ergo sicut potestas episcopalis pro singulis ecclesiis transivit ad successores, sic et potestas ista pascendi omnes oves et habendi claves super totam Ecclesiam non est ratio cur non sit data pro successoribus.

[1] *Act.* 20, 29 et 31.

785 Unde dixit optime S. Leo Papa *(Sermones,* serm. III, cap. 2) [1] "Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit".

786 Et S. Cyprianus *(Epist.* XXVII, n. 1) [2] "Dominus noster ... Ecclesiæ suæ rationem disponens, in evangelio loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam". Et infra: "Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur".

787 Item Chrysostomus *(De Sacerdotio,* Lib. II, 1) [3] "Quanam, inquit, de causa sanguinem suum Christus fudit? Certe ut pecudes oves eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat".

788 Denique Augustinus *(Serm. ad Popul.,* serm. XLVI, cap. 13) [4] "Neque enim modo ideo tacentur pastores... quia non invenit Dominus cui commendet oves suas; tunc autem ideo commendavit, quia invenit Petrum. Imo vero et in ipso Petro unitatem commendavit, etc." Quam unitatem Ecclesiæ in Petro commendatam, etiam agnovit Cyprianus *(De unitate Ecclesiae,* cap. 4) [5], dum inquit quod "Petro primatus datur ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur". Et similia (Epist. XL, *Plebi universae*) [6].

[1] PL 54, 145-146.
[2] PL 4, 305-306.
[3] PG 48, 632.
[4] PL 38, 287.
[5] PL 4, 515.
[6] PL 4, 345.

789 Sed unitas Ecclesiæ non consistit in unitate personarum, sed in unitate successionis ejusdem populi: alias Ecclesia, quæ modo est, non esset una Ecclesia quæ in Apostolis cœpit, quia non habet easdem personas. Ergo similiter unitas, quæ in Petro commendatur, non est unitas personæ, sed successionis in eodem throno et regimine.

790 Videndus est Augustinus (Epist. LIII, *ad Generos.,* n. 2) [1], ubi omnes successores Petri in Romana Sede usque ad sua tempora numerat; et *{De util. cred.,* cap. 17)[2]; et *{Contra Epistolam fundamenti,* cap. 4) [3]; et *{Contra Faust.,* Lib. XI, c. 2) [4] ubi successionem declarat in Apostolica Sede, ejusque solidam et fundatam auctoritatem in successione episcoporum; et Optatus Milevitanus *{Contra Parmenianum,* Lib. II, 3) [5], et Ireneus *{Adversus Haereses,* Lib. III, cap. 3) [6].

©

791 VI. **Circa minorem** autem syllogismi assumpti scilicet quod Petrus alligavit successionem sui primatus episcopatui Romano, *difficultas est* quia *vel* illam alligavit ex aliqua institutione et præcepto Christi, *vel* ex sola propria voluntate sua, *vel* ex eo præcise quod in illo episcopatu Romano mortuus est censetur ibi manere etiam successionem supremi primatus. n. 769

792 *Primum* dici non potest, quia de tali institutione Christi non exstat aliqua specialis revelatio Scripturæ vel Traditio: unde sine fundamento in re tanti momenti poneretur.

1 PL 33,196.
2 PL 42, 91.
2 PL 42, 175.
4 PL 42, 246.
4 PL 11, 947.
• PG 7, 848-855.

793 *Secundum* etiam non sufficit, quia sola voluntas Petri, secluso ordine aut institutione divina de qua nobis non constat, non habuit majorem auctoritatem quam reliqui Pontifices ejus successores habent, et sic posset modo Pontifex, si vellet, separare dignitatem pontificiam ab episcopatu Romano, alteri episcopatui alligare, aut seorsum sine aliquo episcopatu eam conservare, etiam ipse sibi eligere successorem, quod non est admittendum. Nec constat qualiter voluntas Petri in hoc facto Ecclesiæ significata est, cum non exstet decretum aliquod, aut lex Petri de hoc, et tamen alligatio ista sine aliqua lege fieri non debebat, cum deberet esse authentica et juridica in Ecclesia. *n. 853

794 *Tertium* denique dici non potest, quia ex sola morte Petri in illo episcopatu non apparet quod successori episcopatus sit acquisitum jus ad pontificatum totius Ecclesiæ, si id Petrus non declaraverit aut statuerit. Nam et Petrus habuit episcopatum Antiochenum et tamen successor ejus non nisi in episcopatu successit. Et Paulus etiam habuit potestatem[1] super totam Ecclesiam, et super episcopatum Romanum; nec tamen ex morte ejus in Romana urbe aliquis acquisivit jus ad succedendum potestati Pauli. Ergo similiter neque in potestate Petri, ut distinguebatur ab episcopatu loquendo præcise de jure fundato in ipsa morte Petri, quia scilicet mortuus est in episcopatu Romano.795 *n. 854

795 VII. Cæterum propositio assumpta*, cum definita sit ab Ecclesia, ut supra*vidimus ex Concilio Florentino, ubi determinatur Romanum Pontificem esse Petri successorem, consequenter fateri oportet istam successionem esse materiam de fide, et sic esse revelatam a Deo, vel in Scriptura vel in Traditione, et sic inquirenda sunt principia in quibus revelatio ista continetur. *. 791 765

[1] Cf. II Cor. 11, 28.

796 Et quidem hic duo sunt distinguenda, scilicet successio ipsa et *conjunctio* Romani episcopatus cum pontificatu Ecclesiæ: et hoc est de fide. Deinde *modus* quo conjunctio ista facta est: et circa hoc sunt opiniones.

797 **Et quoad primum** Spalatensis, recentior hæreticus, † 796 apud Reverendissimum Massiliensem *{De monarchia Ecclesiæ.* II Pars, Lib. 4, cap. 1), inquit quod si credendum sit fide divina Petrum Romæ sedem fixisse, in primis necessarium est ut divinis oraculis dogma hujusmodi primarium fundaretur, quod tamen nullo modo ostendi potest, cum de hac re Scriptura nihil commemoret (quod ea occasione factum putat ne in canonica Scriptura monarchia Ecclesiæ Romanæ fundamentum haberet). Censet ergo ipse Petrum quidem fuisse episcopum Romæ ex eo solum quod ibi actu vixerit, non vero quod ibidem sedem fixerit. Quia hoc, inquit, fuisse commune omnibus Apostolis, quod ex facultate et potestate apostolatus totius Ecclesiæ gubernationem habebant: dicebantur vero episcopi illius loci in quo actu exercebant munera apostolatus, et ideo quamdiu Petrus fuit Antiochiæ, episcopus Antiochenus dictus est, quamdiu Romæ Romanus episcopus. Quod similiter habuit Paulus qui æqualis erat Petro in apostolatu, et ideo quamdiu Romæ fuit cum Petro episcopus etiam Romanus erat, et ab utroque Ecclesia illa fundata est, et uterque in episcopatu defunctus. Quinimo addit etiam Joannem quando Romæ fuit, et ibi missus in ferventis olei dolium, ut refert[1] Tertullianus, fuisse etiam eo tempore Romæ episcopum.

798 Hoc igitur pacto, existimat apostolicam auctoritatem non episcopatui alligatam, ita ut episcopus ille qui succederet Petro aut Paulo, in apostolica auctoritate non succederet,

[1] *De Præscript.,* cap. 36, PL 2, 59.

sed in episcopatu. Unde ulterius existimat Romanos episcopos solum esse vicarios Petri, quasi puros ministros et servos; sic enim multi ex antiquis Pontificibus se appellant non Christi sed Petri vicarii, ut multæ eorum epistolæ testantur, quas ex eodem Spalatensi refert Reverendissimus Massiliensis [1] et constat etiam ex capite *Ego Ludovicus* (c. 30, D. LXIII) i.

799 VIII. Error iste Spalatensis etsi minus impudenter ab ipso asseratur, non minus tamen vane quam a cæteris hæreticis. Nam etsi aliqui hæretici adeo stupide desipuerint ut contra omnem historiarum traditionem, imo et Scripturæ veritatem, Petrum etiam Roman venisse negaverint, ut Velenus et Illyricus; tamen alii, saltem propter scriptorum consensum, ibi fuisse et obiisse admittunt, ut Calvinus *{Institutiones,* Lib. IV, cap. 6, n. 15) et Magdeburgenses *{Centuria Ia,* Lib. II, cap. 10), negant tamen ibi episcopum fuisse et sedem fixisse, præsertim longo tempore: quod Spalatensis solo superficiali titulo admittit, scilicet quia ibi actu vixerit, episcopum dici posse illius Urbis; addit tamen Calvinus non posse convinci quod ita Romæ collocata sit Sedes Petri ut quicumque sit ejus Urbis episcopus etiam universo orbi præsideat, quod etiam est intentum Lutheri, et, ante ipsum, Nili Thessalonicensis.

800 Quare hæretici totam jurisdictionem primatus et potestatem episcopi Romani super alias ecclesias ad jus positivum humanum devolvunt, sed in duas classes sunt divisi. *Quidam* enim emanasse dicunt hoc jus ab Ecclesia, *quidam* a principibus sæcularibus et beneficio Cæsarum.

[1] *De monarchia Ecclesiæ,* II Pars, Lib. 4, cap. 1.
[2] RF I, 244.

801 **Ab Ecclesia** quidam emanare dicunt aliqui, qui etiam divisi sunt. Nam *quidam* ab ipsis Apostolis non a Christo manasse affirmant, quod videntur Julius Papa *{Ad episcopos orientales,* epist. I, cap. 6) [1] et Anacletus *{Ad episcopos Italiae,* epist. II, cap. 24)[2] significare, dum dicunt Apostolos voluisse ut Ecclesia Romana haberet primatum, et huic adjungitur etiam fundamentum Spalatensis quod episcopus Romanus non successor, sed vicarius Petri dicitur. n. 798

802 *Alii* a Conciliis, præsertim Nicæno, emanasse existimant ut episcopus Romanus primatum quemdam inter omnes episcopos haberet, ut inquit Nilus, et præsertim jus appellationum ad ipsum ex omni Ecclesia. Nam multi Pontifices, præsertim Zosimus, ut habetur» in Concilio Carthaginiensi XVI, et Julius Papa *{Ad episcopos orientales,* epist. II, cap. 11)[4], id ex Concilio Nicæno probant.

803 *Alii* simpliciter ab Ecclesia institutam Sedem Romanam existimant, sicut et alias patriarchales sedes. Quod attribuitur Ocham *{Dialog.* Ia pars, Lib. I, cap. 23), prout refert Suarez *{De fide,* disp. X, sect. 3, n. 2).

804 **Ex beneficio autem saecularium principum jus** n. 800 istud primatus emanasse quidam senserunt, ut refert Turrecremata *{Summa de Ecclesia,* Lib. IV, cap. 39). Et (cap. 42) id tribuit Marsilio Paduano quod existimaverit a Constantino Magno initium id accepisse, propter hoc quod habetur in capite *Constantinus* (c. 14, D. XCVI)[5], ubi decernendo sanxit episcopum Romanum super omnes ecclesias orbis habere potestatem.

[1] PL 130, 620.
[2] PL 130, 72.
[3] Msi IV, 377-378.
[4] PL 130, 626.
[5] RF I, 342-345.

805 Et ex simili fundamento recentiorem facit hunc primatum christianæ Ecclesiæ Calvinus, qui existimat episcopum Romanum a Phoca Cæsare accepisse primatus dignitatem in Græcos [1], a Carolo autem in Germanos et Gallos[2], quia id edictis suis et legibus præceperunt. Et denique ad Constantinum IV [3] id refert Lutherus falso fundatus in quodam testimonio Platinæ, in vita Benedicti II[4].

B 806 IX. **Circa secundum vero,** scilicet de *modo* quo ista n. 796
conjunctio episcopatus cum pontificatu facta est, an scilicet aliquo jure divino seu præcepto speciali Christi, an vero ex solo facto et applicatione Petri, dissensio est inter Catholicos.

807 *Quidam* enim tenent totum hoc ad factum Petri et humanum jus reduci debere. Sic Soto (In IV Sent., *De Sacramentis,* Dist. XXIV, q. 2, a. 5). Quæ opinio etiam tribuitur Paludano *(De Potestate ecclesiastica,* a. 2), Armachano *(Summa in quaestionibus Armenorum,* Lib. II, cap. 13, 14), et in eamdem inclinat magister Banez (IIa-IIæ, q. 1, a. 10, *dub.* IV, in explicatione secundæ partis tertiæ conclusionis), quatenus conjunctionem episcopatus orbis cum episcopatu Urbis de jure humano esse affirmat, universalitatem tamen episcopatus Romani supposita illa conjunctione esse de jure divino.

808 *Alii vero* existimant etiam conjunctionem ipsam esse factam jure divino et speciali præcepto Christi, ut tenent Cano *(De locis,* Lib. VI, cap. 4, et 8 ad 10); Turrecremata in capite *Sacrosancta,* (In *Decretum Gratiani,* in c. 2, D. XXII). —Probabiliorem reputant Suarez *(De fide,* disp. X, sect. 3,

1 A.D. 602-610.
2 A.D. 800-814.
3 A.D. 668-685.
4 *Opus de vilis ac gestis SS. PP.*

n. 10); Bellarminus *(De Summo Pontifice,* Lib. II, cap. 12); Suarez autem pro sua *(Defensio fidei* Lib. III, cap. 13) dicit rationem succedendi Romanum Pontificem in potestate Petri non fuisse evangelicam institutionem, sed appropriationem ad pontificatum Petri firmatam Petri morte et Christi mandato, cum dixit Petro extra urbem Romanam egredienti: Vado Romam iterum crucifigi.

809 X. **DICO TAMEN PRIMO: Ex institutione evangelica, prout facta est a Christo Domino ante ascensionem suam, potestas apostolica super totam Ecclesiam collata Petro nulli episcopatui determinato est alligata.**

810 Constat hoc manifeste. Nam Petrus aliquo tempore nullum habuit episcopatum: Antiochenum enim non statim habuit post ascensionem Christi, et multo minus Romanum, quem post Antiochenum habuit, sed quinto post passionem Domini anno Antiochiæ fixit sedem, ut observat Eusebius *(Hist. Eccl.* Lib. III, cap. 36) [1]; et ex cap. 8 et 10 *Actorum Apostolorum* colligitur Petrum mansisse Jerosolymis, etiam post mortem Stephani, neque alibi fixisse sedem.

811 Neque Antiochiæ prædicatum fuisse Evangelium, nisi ab illis qui dispersi fuerant post mortem Stephani constat *(Act.* 11, 19); neque tunc erat episcopus Jerosolymorum Petrus, sed Jacobus. Igitur aliquo tempore fuit in Ecclesia summus pontificatus sine peculiari aliquo episcopatu cui alligaretur.

812 XI. **DICO SECUNDO: De facto nullus succesit Petro in potestate apostolica supra totam Ecclesiam sine aliquo determinato episcopatu. Hoc est de fide.**

1 PG 20, 288.

813 Hæc conclusio est manifesta, quia, si talis esset successor, deberet agnosci ab Ecclesia, et ei esse manifestus. Nullibi autem Ecclesia agnovit tamquam successorem Petri in auctoritate apostolica aliquem qui non esset episcopus Romanus. Ergo de facto nullus fuit successor Petri in primatus potestate sine aliquo determinato episcopatu.

814 Quod vero id sit de fide, manifestum est ex definitionibus Ecclesiæ, quibus successorem Petri in universali potestate determinat esse episcopum Romanum, ut supra vidimus *n 765
ex Concilio Florentino, et statim amplius ostendemus ex *n. 834s.<1Q
Traditione. Et ex eadem Ecclesiæ definitione constat non posse dari duos supremos Pontifices, unus qui habeat episcopatum determinatum, alter qui non habeat, cum Ecclesia non habeat nisi unum supremum caput, ut ostendimus articulo præcedenti. Ergo.

815 XII. **DICO TERTIO: Etsi probabile sit ex aliquo mandato revelatione sufficienti ad inducendum jus divinum Petrum conjunxisse pontificatum Ecclesiæ episcopatui Urbis, non tamen est certum eam conjunctionem esse de jure divino.**

816 *Prima pars* fundatur in pluribus dictis sanctorum, qui quamdam videntur efficere traditionem, qui dicunt Petrum ex jussione Domini Romam venisse et ibi fundasse Ecclesiam.

817 Nam in primis Marcellus Papa (Epist. I, *Ad episc. Antiochense provinciae),* ut habetur in capite *Rogamus* (c. 15, C. XXIV, q. 1) i, dicit Petrum ex jussione Domini transtulisse sedem Antiochiæ Romam. Suffragatur etiam Innocentius III m capite *Per venerabilem* 2, ubi inquit locus quem elegit

1 RF I, 970.
! c. 13, X, *quifilii sint legitimi,* IV, 17, RF II, 716.

Dominus, Apostolica Sedes esse dignoscitur. Et adducit illam historiam quod egredienti Petro ex Urbe, Christus occurrit et Romam avocavit.

818 Quam historiam attingit etiam Ambrosius *(Sermo contra Auxentium,* 13) [1], et Athanasius *(Apolog. de suafuga,* 25)[2], et Hegesippus *(De excidio Jerus.,* Lib. III, cap. 2)[3]. Favet Lateranense Concilium sub Innocentio III, cap. V, dum inquit:[4] "Romana Ecclesia, disponente Domino, super alias omnes ordinariæ potestatis obtinet principatum". Et Eusebius Papa *(Ad episcopos Campaniæ et Thusciæ)*[5]: "Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam Beati Petri, Apostolorum principis sacerdotio ditavit". Et in capite *Sacrosancta* (c. 2, D. XXII) [6], inquit [7] Anacletus Papa quod "Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit". Et Nicolaus II *(Ad Mediolanenses),* ut refertur citata distinctione[8] capite *Omnes,* inquit: "Non quælibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est coelum et terra, Romanam fundavit Ecclesiam".

819 Et plures similes locutiones in aliis sanctis et Pontificum auctoritatibus inveniuntur, quamvis multæ non loquantur de jure applicationis quo alligata et applicata sunt ista duo, sed de jure potestatis quo episcopus Romanus, supposita

[1] PL 16, 1053.
[2] PG 25, 676.
[3] PL 15, 2070; cf. DTC. a. *Hégésippe* (le prétendu), T.6, 2120-2122.
[4] Msi XXII, 990.
[5] Msi II, 420; PL 130, 233.
[6] RF I, 73.
[7] Epist. III *ad omnes Episcopos,* PL 130, 77.
[8] c. 1, D.XXII.

illa applicatione, est super omnes Ecclesias, quia talis potestas a Deo instituta est.

820 Et ratio esse potest principalis, quia alias posset Ecclesia, vel aliquis Summus Pontifex, separare ista duo officia seu potestates, scilicet pontificatus et episcopatus, et consequenter posset per Ecclesiam aliquis subtrahi a jurisdictione Pontificis Romani privando illam Sedem summo pontificatu, quod est omnino absurdum, et videtur esse contra determinationem supra relatam Bonifacii VIII, in extravagant! *Unam sanctam*[1], in qua determinat esse de necessitate salutis quod omnis humana creatura subsit Romano Pontifici. ♦n.766

821 Reliqua vero argumenta potius probant esse de fide successionem Petri esse de facto in episcopatu Romano, quam esse de jure divino factam istam unionem et applicationem: haec enim sunt valde diversa «n-829

822 XIII. *Secunda vero pars probatur.* Tum quia illa sententia est multorum catholicorum (ut vidimus nec opposita majori censura quam probabilitatis a suis auctoribus asseritur. ♦n. 815 808

823 Tum etiam quia non est sufficiens fundamentum hujus divini juris de applicatione pontificatus ad episcopatum Urbis, nec enim auctores oppositi proferunt aliud Christi oraculum nisi illud quod Petro dixit: Venio Romam iterum crucifigi. — Ex hoc autem non colligitur Christum elegisse Romam ut in illo episcopatu esset summus pontificatus, sed elegisse Romam ut in ea Petrus martyrio coronaretur. Hoc enim solum illis verbis Domini significavit. Unde cum multo tempore ante Petrus Romæ sedisset, non poterat ex vi illorum verborum fundari illa Ecclesia pro summo pontificatu.

[1] c. 1. *de majoritate et obed.*, I, 8, in Extravag. com., RF II, 1246.

824 Neque Innocentius III, in citato capite *Per venerabilem* [1], illa historia utitur ad præcise probandum de jure divino illam conjunctionem factam esse, sed quod per illa verba voluit Dominus revocare Petrum ad locum quem elegerat; unde supponit jam ante Dominum elegisse Romam pro pontificatu. Sed hæc electio non cogit ut dicamus id fuisse jure aliquo divino speciali factum, sed loquitur Pontifex eo more quo omnes Pontifices Romani modo in suis litteris se divina providentia et electione assumptos ad pontificiam dignitatem dicunt, et tamen constat applicationem pontificatus ad hanc determinatam personam non fieri de jure divino, sed mediante electione humana. n. 817

825 Et hoc sensu intelligi commode possunt reliquæ auctoritates, quæ insinuant ex jussione Domini Romanam Ecclesiam accepisse primatum et translatum esse ab Antiochena ad Romanam: vel loquuntur non de ipsa applicatione utriusque potestatis, sed de ipsa ratione primatus secundum se supposita applicatione.

826 XIV. Postremo videtur non esse de jure divino hanc applicationem, quia alias, si Romana civitas funditus extingueretur, sicut plerique auctores et Patres existimant evertendam tempore Antichristi, ita quod periret tunc episcopatus illius Urbis, hoc ipso non subsisteret summus Ecclesiæ pontificatus, quia jure divino esset applicatus illi Urbi, et sic ejus episcopatu extincto tolleretur ratio pontificatus: quod tamen dici non potest, quia sicut Ecclesia manebit post Antichristum usque ad consummationem sæculi, ita et supremum caput Ecclesiæ. Ergo saltem tunc erit separandum ab episcopatu Romano, et consequenter non est de jure divino ei alligatus universaliter loquendo. n. 822 n. 858

[1] c. 13, X, *quifilii sint legitimi,* IV, 17; RF II, 716.

827 **XV. DICO QUARTO: Episcopum Romanum habere de facto conjunctam sibi potestatem universalem Ecclesiæ est de fide, licet applicatio ipsa non fuerit facta jure divino.**

828 Itaque sive ex speciali jussione Domini, sive ex solo facto Petri illa conjunctio facta sit, est tamen de fide illam de facto dari et summum pontificatum determinate esse illi annexum.

829 In quo differt successio aliorum episcopatuum et Romani, quia de aliis non est de fide quod succedant Apostolis, licet ex historiis id habeatur: in episcopatu vero Romano est de fide quod succedat Petro, quidquid sit an de jure divino ista conjunctio facta sit. Est enim longe diversum *n·821 aliquid esse de fide, vel esse de jure divino. De fide enim est quidquid est revelatum a Deo, non tamen est de jure divino quidquid est revelatum a Deo, licet sit de jure divino quod nos illud credamus: est enim de fide Petrum negasse Christum, et David commisisse adulterium, non tamen id est de jure divino.

830 Sic ergo esse conjunctam de facto supremam auctoritatem apostolicam episcopatui Romano est de fide, quidquid sit an illa conjunctio jure divino, id est ex speciali ordinatione et lege Christi facta sit, sive non. Et quod sit de fide fundatur in Traditione Ecclesiæ et definitionibus Conciliorum et Pontificum.

831 Continetur jam implicite in Scriptura tum *in communi,* quia Christus Dominus potestatem supremam Petro tradidit pro se et successoribus, ut ostendimus jam in hoc arti- til' culo. Unde ibi implicite continetur applicatio et conjunctio illius potestatis cum successione illius quæ de facto

futura erat et Christus præsciebat; atque adeo in illis verbis eam sine dubio intelligere volebat, et ideo Ecclesia, viso facto Petri, habuit sufficiens fundamentum ut ex illis verbis Christi Domini talem successionem, quæ nunc est, inclusam intelligeret.

832 Tum *in speciali* juvat satis locus ille (I Pet. 5, 13): *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta,* nam per Babylonem Romam intelligi communiter interpretes affirmant (quidquid hæretici negent), et expresse Eusebius *{Hist. Ecclesiast.,* Lib. II, cap. 15) ›, et Hieronymus *{De viris illustribus,* in Marco) 2.

833 Nec enim de alia Babylone intelligi potest ubi Petrus non fuit. Et in Scriptura per Babylonem Romam intelligi constat *{Apoc. Yl,* 5), ubi mulier habens capita septem vocatur Babylon magna, et de illa dicitur septem capita quæ septem montes sunt super quos mulier sedet, quod Romæ tantum convenire etiam pueris notum est. Unde et Tertullianus *{Adv. Judæos,* cap. 9; *Adv. Marcionem,* Lib. Ill, cap. 13) »: "Babylon, inquit, apud Joannem nostrum, Romanæ Urbis figura est".—De hac ergo dicit Petrus *salutat vos Ecclesia, quæ est Romæ coelecta.* Legendum est enim *coelecta,* non *collecta,* ut modo emendatum est in bibliis correctis, et colligitur ex loco Eusebii *supra* citato *n·832 qui referens verba Petri, sic illa scribit: *Salutat vos Ecclesiæ nostræ electionis consors, quæ est Babylon.* Et Cajetanus explicans hæc verba (I *Pet.* 5, 13) *in Babylone collecta,* id est, sibi electa significat. Ergo Petrus Ecclesiam Romanam electam esse a se et consortem esse electionis suæ, quod referri non potest nisi ad designationem successionis suæ.

› PG 20,173.
2 PL 23, 621.
» PL 2,660, 367.

834 XVI. Traditio autem Ecclesiæ ab ipsis Apostolis sufficienter declarat eamdem veritatem. Sumitur autem hæc Traditio primo ab *ipsis Romanis Pontificibus,* qui variis epistolis hanc successionem declararunt non contradicente Ecclesia neque aliis episcopis, sed eis obedientibus. *n. 830

835 Videri possunt plures apud Suarez *(Defensio fidei,* Lib. III, cap. 15), et apud Bellarminum *(De Rom. Pont.* Lib. II, cap. 14), et apud magistrum Cano *(De Locis,* Lib. VI, cap. 4); et latissime Thomas Ramon *(De primatu Petri et Summorum Pontificum),* et Antonius Augustinus *(Epitome juris pontificii veteris,* Pars Ia).

836 Specialiter videri potest locus D. Clementis Papæ *(Epist. I Clementis ad Jacobum,* cap. 2) ubi ipsam resignationem et designationem Petri narrat, qua summum pontificatum Petrus Clementi tradidit: "Clementem, inquit, hunc episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis et doctrinæ cathedram trado". Et infra: "Propter quod ipsi trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris hoc decretum sit et in cœlis".

837 Videri potest epistola Anacleti Papæ (Epist. II *ad Episcopos Italiæ)* et (Epist. III *ad omnes episcopos)*[2], epistola Lucii Papæ (Epist. *ad Episcopos Hisp. et Gal.)* [3], Marcelli Papæ (Epist. I *ad Episcopos Antiochense provinciae)* [4], epistola Athanasii *(ad Marcum Papam)*[6], epistola Julii Papæ (Epist, *ad Episc. Orient.)* «, epidola Athanasii ac

1 PL 130, 20.
» PL 130, 67-74, 75-80.
' PL 130,173.
' PL 130, 219.
' PL 130, 611-613.
» PL 130, 617-622.

Aegyptiorum episcoporum ad Liberium [1] et alia ad Felicem II [2], epistola Damasi tertia ad Stephanum et Concilia Africæ [3].

838 Est autem frivola hæreticorum responsio has epistolas esse supposititias et recentes, nam ab antiquissimis temporibus mentio habetur epistolarum istorum Pontificum, eas enim observari jubet et recipi Gelasius Papa in capite *Sancta Romana* (c. 3, D.XV)[4]. Et Rufinus, præfatione in libros *Recognitionum* Clementis, meminit [5] epistolæ Clementis ad Jacobum, et Gratianus plura ex epistolis illorum Pontificum in *Decretis* suis collegit, et longe ante ipsum Isidorus quidam Mercator collectionem canonum [6] fecit ex epistolis istis antiquissimorum Pontificum: de cujus tamen censura videndus est doctissimus vir Antonius Augustinus *{Epitome juris pontificii veteris,* Pars II, cap. 19).

839 XVII. Firmatur eadem [7] traditio ex sanctis Patribus, præsertim illis qui continuatam seriem successionis Pontificum in cathedra Petri tamquam in Apostolica Sede et auctoritate tradiderunt.

840 Praecipui autem sunt S. Irenaeus *{Adv. Haer.,* Lib. III, cap. 3)'; S. Epiphanius *{Hæreses,* XXVII, 6) [8]; Augustinus (Epist. LUI, *ad Generos.,* η. 2) [9], Hieronymus (De *viris illustribus,* in Clemente) [10]; et Optatus Milevitanus *{Contra*

1 PL 130, 633-636.
2 PL 130, 639-644.
3 PL 130, 660-666.
4 RF I, 36-37.
5 PG 1,1207.
6 Cf. DTC. a. *Décrétales fausses,* IV, col. 212-222.
7 PG 7, 848-55.
8 PG 41, 373.
9 PL 33,196.
10 PL 23, 631.

Parmenianum, Lib. II, 3) [1] Videatur Cyprianus, cujus sæpe verba retulimus, unitatem Ecclesiæ ad cathedram Petri quæ Romæ est deferentis, præcipue (Epist. XL, *Plebi universæ,* 5)[2], (Epist. IV, *Ad Corn.,* 3) [3], (Epist. XII, *Ad Corn.,* 5,14) [4]; S. Leo Papa *{Sermones,* serm. II, cap. 2)[5], (Serm. III, cap. 2-4)[6], (Serm. IV, Cap. 2-3) [7], passimque in epistolis suis[8]; et S. Gregorius Papa *{In septem Psalm. Pœnitentiales,* super ps. 101, 9) ad illa verba: *Qui laudabant me adversum me jurabant* [9]; Nicolaus I, præsertim *{Epist. ad Michaelem Imper.,* epist. 8)[10]; S. Prosper *{De vocatione omnium gentium,* Lib. II, cap. 16), et *{De Ingratis,* Pars I) Fulgentius *{De Incarn. et gratia,* cap. 11) [12]; Bernardus *{De Consider.,* Lib. 2, cap. 8)[13]; et alii posteriores Patres sine ulla controversia.

841 XVIII. Ex Conciliis eadem firmatur Traditio et quidem efficacissime. Nam, cum in Conciliis episcopi totam Ecclesiam repræsentent, si ipsi fatentur primatum hunc Romani Pontificis, manifestum signum est non ab ipsis episcopis assumi hunc honorem qui a tota Ecclesia recognoscitur. ft. 830

842 Concilium Nicænum in canone sexto, prout iste canon relatus est in Sess. XVI Concilii Chalcedonensis, inquit[14]

1 PL 11, 947.
2 PL 4, 345.
3 PL 3, 733-734.
4 PL 3, 828-829, 844-847.
5 PL 54, 143-144.
6 PL 54,145-148.
7 PL 54, 149-152.
8 PL 54, 615, 656, 675, 696.
9 PL 79, 611.
10 Msi XV, 187 sq.
11 PL 51, 704 et 97.
12 PL65, 451.
13 PL 182, 751-752.
14 Msi VII, 443.

quod Ecclesia Romana semper primatum tenuit. In eodem etiam Concilio Chalcedonensi passim [1] vocatur S. Leo Papa universalis Ecclesiæ Pontifex. Citat etiam S. Thomas (Opusc. 27, *Contra errores Græcorum,* cap. 32) canonem Concilii, quod non nominat, et videtur fuisse Concilium Chalcedonense, ut annotat Surius[2] in fine lectionis XV ejusdem Concilii, ubi sic dicitur: "Veneramur, secundum Scripturas et canonum definitiones, sanctissimum anltiquæ Romæ episcopum primum esse et maximum episcoporum omnium". Unde inadvertenter dixit Suarez *(Defensio fidei,* Lib. III, cap. 16, n. 7) hanc auctoritatem in D. Thoma non inveniri.

843 Item in sexta Synodo generali in sermone [3] ad imperatorem, vocatur Agatho Papa Summus Pontifex, et Principis Apostolorum successor.

844 Similiter in septima Synodo *(Sess.* II) recipitur et probatur epistola Adriani I ad Tarasium [4], in qua Sedes Romani Pontificis totius orbis terrarum primatum tenere et omnium ecclesiarum caput esse dicitur.

845 Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, cap. V[5]: "Romana, inquit, Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater omnium Christi fidelium et magistra".

846 Denique Florentinum[6] in litteris unionis idem asserit ut supra in principio articuli retulimus. *n. 765

1 Msi VI, 147, 580.
2 Cf. Hef. -L., 1,100-101.
3 Msi XI, 294.
4 Msi XII, 1081
5 Msi XXII, 990.
6 Msi XXXI, 1031.

847 XIX. Ultimo constat hæc Traditio ex ipsamet Ecclesia n. 830
perpetuo agnoscente universalem primatum Romani episcopi super omnem Ecclesiam in ipso exercitio, et in omnibus actionibus quæ universalitatem ejus primatus testificantur, scilicet quia ad ipsum appellatur ab omni Ecclesia et ab omni episcopo, et in majoribus et difficilioribus causis totius Ecclesiæ consulitur Romana Sedes.

848 Item jurisdictio in totam Ecclesiam quatenus leges episcopi Romani ad omnem Ecclesiam extenduntur.

849 Item confirmatio Synodorum etiam generalium.

850 Item creatio episcoporum, aut depositio etiam patriarcharum. Octo enim Constantinopolitanos fuisse depositos a Romanis Pontificibus numerat Nicolaus I (Epist. *ad Michaelem Imper.,* epist. 8) [1], eorumque potestatem plus aut minus limitare vel extendere.

851 Item potestas coercendi, et puniendi quæcumque membra Ecclesiæ, etiam supremos principes. Nam etiam ab antiquis temporibus Innocentius I excommunicavit Arcadium imperatorem extra episcopatum Romanum consistentem, ut videri potest in epistola XVII [2] Innocentii I et multi alii Pontifices excommunicaverunt imperatores, et privaverunt imperio.

©

852 XX. Ad rationem vero dubitandi supra allatam circa n. 701
istam difficultatem, *respondetur* alligationem seu conjunctionem pontificatus orbis cum episcopatu Urbis constare

[1] Msi XV, 187 sq.
[2] Msi XX, 334.

ex ipso facto Petri, ut ostensum est, et probabiliter ex Christi jussione et præcepto sicut videmus sq' *n' 822 sq'

853 Quod voluntas Petri Ecclesiæ significata est patet, *ll· 793 *tum* in ipso exercitio, ut ex traditionibus allatis constat, ·834 sqq' aliisque probationibus; *tum* in illis verbis Clementis ', qui illam voluntatem et traditionem Petri factam esse significat, *tum* ex definitionibus Conciliorum et Ecclesiæ receptione.

854 Quod vero additur de episcopatu Antiocheno, quem prius habuit Petrus, *respondetur* quod illum non habuit firmando ibi sedem absolute, sed ad tempus, quia adhuc in vita sua illum dereliquit et successorem in eo designavit, scilicet Evodium, et alibi, id est Romæ, fixit Sedem, nec eam amplius mutavit, ut ex allatis probationibus constat, *n'813 sqq' quibus Romanus, et non Antiochenus episcopus, ut successor Petri recognoscitur. ·794

855 An vero segregari possit pontificatus ab episcopatu Romano per aliquam auctoritatem humanam, de hoc non conveniunt auctores.

856 Magister Soto (In IV Sent., *De Sacramentis,* Dist. XXIV, q. 2, a. 5) tenet id fieri posse, quia existimat conjunctionem illam solum ex potestate ordinaria Petri factam esse, non ex speciali ordine Christi Domini. Qui vero de jure divino illam factam existimant, nullo modo separari posse ab Ecclesia asserunt.857 *q'808

857 Magister Banez (II3"l-!!30, q. 1, a. 10), etsi teneat non fuisse factam de jure divino, adhuc est dubius an possit mutari ab aliqua potestate humana; quia, sicut inter jus

l *Epist. I Clementis ad Jacobum,* cap. II, PL 130, 20.

* Cf. DTC. a. *Primauté,* XIII, col. 338-339.

pure naturale et jus pure humanum seu positivum mediat jus gentium, quod, pro quanto participat aliquid de jure naturali, non potest de facili mutari; ita potest hoc jus Romanæ Ecclesiæ vocari medium inter jus pure divinum et jus mere humanum, quatenus dependebat aliquo modo a facto et morte Petri, et pro ea parte qua aliquid participat de jure divino, non potest de facili mutari. Quia tamen hoc jus novum videtur nec satis fundatum, ad Ecclesiæ determinationem se in hac parte remittit.

858 XXI. Cæterum, quia ista quæstio parum practicabilis est, et magis speculativa, quia tamen absolute non est impossibilis casus aliquis in Ecclesia quo ipse pontificatus ab episcopatu urbis dividendus sit, ut si ipsa Romana civitas et consequenter episcopatus illius funditus everterentur, nec iterum reædificaretur, ut communiter tenetur ab Antichristo faciendum, *videlur mihi* quod absolute loquendo in Ecclesia est potestas uniendi pontificatum alteri episcopatui, aut illum sine episcopatu aliquo retinendi, sicut primis quinque annis antequam Antiochiæ Petrus sedem figeret in Ecclesia fuit

859 *Moveor ad hoc,* quia ille casus eversionis Romanæ Urbis absolute non est impossibilis, et de facto eventurus putatur tempore Antichristi. Ergo tunc posset Pontifex, quia maneret destructa Urbe, aut ipsa Ecclesia, designare episcopatum aliquem cui uniretur pontificatus, aut quod sine episcopatu maneret, cum ipsa suprema auctoritas pontificatus extingui non possit; nisi forte diceretur quod tunc Deus per aliquem prophetam revelabit quid faciendum sit, et fortasse id fiet ab Elia et Henoch, tempore Antichristi, si tunc Romana civitas evertenda est. Sed hoc est mera divinatio, nec ideo Ecclesia destituenda est potestate providendi sibi in hac materia, si forte talis casus contingeret.

860 Extra hunc vero casum, existimo nullum dari posse ita urgentem qui justificare posset istam separationem, nec etiam validam reddere, quia quantumvis necessitas cogeret Romanum Pontificem abesse ab Urbe Romana, sicut sæpe abfuerunt, tamen etiam extra Urbem Romæ possent Romani episcopi manere, dummodo episcopatus ille et Urbs adhuc existèrent.

861 XXII. *Ratio autem est: tum* quia est probabile quod illa unio sit facta jure divino. Unde si illud jus potest per dispensationem mutari, debet esse ex causa urgentissima. Quamdiu autem Urbs Romana subsistat, non potest dari urgens causa pro illa mutatione; nam etiam saevientibus persecutionibus, et cum cogerentur episcopi Romani exulare aut abesse, nunquam judicatum est debere transferri pontificatum ab illo episcopatu. ñ. 815sq

862 *Addo* quod, etiamsi ab Apostolis et non a jure divino facta est hæc conjunctio, adhuc non constat factam ab Apostolis per auctoritatem ordinariam, in qua succedit Pontifex, sed verisimiliter est factam ab illis secundum potestatem extraordinariam, in quantum erant delegati et primi fundatores Ecclesiæ, ex qua potestate facerent. *Sicut* autem Apostoli ex munere apostolatus extraordinario et delegato habebant potestatem et auctoritatem scribendi Scripturam canonicam, *ita* ex eodem munere auctoritatem habebant explicandi jus divinum altiori modo quam nunc explicatur ab ipsa Ecclesia. Unde non videtur mutari posse talis determinatio ab auctoritate ordinaria Ecclesiæ, quæ facta est ex auctoritate apostolica quatenus delegata et extraordinaria erat, et ad ipsum actum fundandi Ecclesiam pertinebat. Ordinaria enim potestas non potest mutare ea quæ a delegata potestate superiori facta sunt, ut ñ. 667sq.

est textus expressus in capite *Sane* (c. 11, X, *de officio et potestate judicis delegati,* 1, 29) [1].

863 Quod autem Apostoli tamquam delegati Christi istam conjunctionem fecerint, fundamentum habet: *tum* quia ille erat actus fundationis Ecclesiæ: Apostoli autem in quantum fundatores Ecclesiæ utebantur potestate delegata, non ordinaria. *Tum* quia id significat Julius Papa (Epist. I *Ad episcopos Orientales*)[2] loquens de Apostolis. Dicit enim quod Ecclesiam Romanam primatum omnium ecclesiarum esse voluerunt; et idem insinuat Anacletus (Epist. *Ad Episcopos Italiæ,* epist. II, cap. 24)[3]. Unde si id voluerunt Apostoli non videtur a solo Petro eam electionem factam esse, sed communicatione aliorum Apostolorum, et ita auctoritate apostolica quatenus delegata et extraordinaria erat id esse factum, nec in ea nunc ordinariam Ecclesiæ potestatem dispensare posse.

864 XXIII. Quod vero attinet ad ea quæ hæretici afferunt ad probandum incœpisse Romani Pontificis primatum vel a tempore Concilii Nicæni, aut alterius, vel, quod pejus est, ab imperatore Constantino, vel Phoca, jam satis ostensum est quam inaniter dictum sit, cum ab ipsis temporibus Apostolorum per Traditiones Ecclesiæ et Patrum, et definitiones Conciliorum, etiam Nicæni, constet Romanum Pontificem semper habuisse primatum.

865 Optime ergo Nicolaus I *(Epist. Ad Michaelem Imperatorem* Epist. 8)[4] dixit privilegia hujus sanctæ Ecclesiæ a Christo sunt donata, a Synodis non donata, sed celebrata

1 RF II, 161.
2 PL 130, 617-622.
3 PL 130, 72.
4 Msi XV, 187 sq.

et honorata. Et idem dicendum de Imperatoribus quod ipsi quasi Ecclesiæ Romanæ defensores promulgarunt et observari fecerunt primatum istum, sicut fecit Constantinus conferens ei etiam temporalia bona et splendorem quasi imperialem, ut habetur in capite *Constantinus* (c. 14, D. XCVI)[1]. Nusquam vero primatus iste ab aliquo Imperatore concessus intelligitur tamquam ab instituente et ordinante, sed ut a promulgante, vel defendente, vel ei consentiente. 804sq.

866 Et Phocas quidem, ut ait Beda *(De Temporum ratione,* cap. 66, in Phoca)[2], solum ad instantiam Bonifacii III Papæ jussit et compulit ut Constantinopolitanus patriarcha non se nominaret primum, seu universalem episcopum, quo titulo etiam tempore[4] S. Gregorii uti voluit, sed declaravit Phocas id pertinere ad solum episcopum Romanum. 805

867 Similiter et Constantinus IV solum Benedicto II cessit ne deinceps consuetudo illa permaneret qua expectabatur auctoritas Imperatoris ut consentiret electioni seu creationi Pontificis, sicut et alii posteriores Imperatores videntur aliquando fecisse, et hoc solum Platina refert. 805

Θ

868 XXIV. Quod si adhuc objiciatur ab hæreticis id quod habetur in capite *Primæ sedis* (c. 3, D. XCIX)[5], ubi ex Concilio quodam Africano (A. D. 397) præcipitur ut Primæ Sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel 875 sq

1 Quoad *Donationem Constantini* cf. DTC. a. *Silvestre* I, XIV, 2072-75.
3 RF I, 342-345.
3 PL 90, 565.
4 A.D. 590-604.
3 RF I, 350-351.

summus sacerdos, sed tantum primæ sedis episcopus. Et in capite *Nullus* (c. 4, D. XCIX) [1] et in capite *Ecce* (c. 5, D. XCIX)[2] praecipitur quod Romanus episcopus non appelletur universalis episcopus. Ergo non est dicendum Romanum episcopum hanc habere supremam auctoritatem.

869 Et *confirmatur* quia Pontifex judicari potest ab Ecclesia, seu Concilio, nam in casu hæresis deponitur ut habetur in canone *Si Papa* (c. 6, D. XL)[3]. *n. 873

870 Et Concilium Constantiense [4], etiam extra casum hæresis, deposuit tres Pontifices. *n 879

871 Concilium Basiliense [5] deposuit Eugenium IV.

872 Concilium Sinuesanum deposuit[6] Marcellinum Pontificem ex eo solum quod idolis metu mortis sacrificaverat, ut refert Nicolaus I (Epist. *ad Michaelem Imp.*, epist. 8)[7]. Ergo Papa non est supremus in tota Ecclesia. *n. 880 sq.

873 Item Honorius I* fuit excommunicatus a sexta Synodo generali quasi hæreticus Monothelita[8]. Quæ sententia repetitur in septima Synodo [9], et in octava Synodo[10], dum approbat Concilium Romanum sub Adriano II celebratum[11]. *0. 882 sq.

1 RF I, 351.
2 *Idem*.
3 FR I, 146.
4 An. 1414-1418; Sess. 12, 14, 37; cf. Hef.-L,, 1, 74.
5 An. 1439; cf. DTC. a. *Bâle,* II, col. 125-128.
6 Msi I, 1250 sq. Cf. Hef.-L,, 1, 207-208.
7 Msi XV, 187 sq.
8 Msi XI, 556, 636-637.
9 Msi XIII, 377.
10 Msi XVI, 180-181.
11 Msi XVI, 126.

874 Similiter Liberius ab Aeacio Cæsariensi depositus est, *n'886
et in ejus locum Felix II subrogatus, ut testatur Hieronymus
(De viris illustribus, 98)

Θ

875 *Respondetur* canones illos *in primis* non loqui de ipsa *n'868
auctoritate Pontificis, sed de nomine seu titulo quo non decet appellari, et titulus quidem principis sacerdotum, quia id redolet synagogam, non Ecclesiam decet: titulus autem universalis nimiam ambitionem præfert.

876 *Vel secundo,* ille canon Africani Concilii non loquebatur de episcopo Romano, cui legem præscribere non poterat nationale Concilium, sed de episcopo Carthaginiensi, qui erat primas inter Africanos.

877 Titulum etiam "universalis" respuit Gregorius[1] *tum* ***754
propter patriarcham Constantinopolitanum qui eo uti volebat, et ipsius Gregorii humilitatem; *tum* propter æquivocationem illius vocabuli "universalis", nam vel significat universalitatem quasi in causando, vel quasi in essendo. Et licet Summus Pontifex sit universalis quasi in causando, sicut causa universalis quæ non excludit causas particulares et proximas, non tamen est universalis in essendo, quasi ipse sit ita universalis episcopus, quod proxime et proprie sit pastor cujuscumque ecclesiæ particularis. Et in hoc secundo sensu titulum rejicit Gregorius, non in primo, ut ex ejus ratione patet. Dicit enim se non esse universalem episcopum, quia sic alii non essent episcopi: quæ ratio non valeret nisi nomine "universalis" intelligeret talem univer-

[1] PL 23, *669.*
[2] *Registri Epist.* Lib. VIII, epist. 30, PL 77, 933; cf. Hef.-L. II, 834-835.

salitatem quæ excluderet proprietatem aliorum episcoporum, et solum haberet illos quasi vicarios suos.

878 XXV. *Ad confirmationem respondetur,* in casu hæresis, Papam, postquam ut hæreticus declaratus est, esse evitandum ab Ecclesia, et consequenter vel desinit esse caput Ecclesiæ ipso facto, vel ab Ecclesia deponitur: sicut et evitandus declaratur, juxta quod dicit[1] Paulus: *Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita,* nam multi tenent Papam, etiam ut personam privatam, non posse esse hæreticum, et in hoc casu non procedit objectio, sed, quia oppositum est probabilius, prima solutio est tenenda. *n. 869

879 Concilium autem Constantiense deposuit illos tres Papas, quia ignorabatur quis eorum esset legitimus, et quia ea conditione electi fuerant ut cederent pontificatui si ita expediret Ecclesiæ. Unde potuit Concilium cognoscere quis esset legitimus eorum, cum simul tres Papæ esse non possent, et si de omnibus dubitaretur, declarare nullum eorum esse Papam, quod et fecit. Eugenius IV autem injuste depositus est a Concilio Basiliensi; unde et tunc desiit esse Concilium legitimum, et cassatum est ab ipso Eugenio et translatum Florentiam, ibique legitime celebratum est Concilium Florentinum. Nec depositio illa facta est cum approbatione et consensu legatorum Pontificis, nec a toto Concilio. Unde sessiones illæ quæ habitæ sunt in Concilio Basiliensi post illam depositionem ut illegitimæ ab Ecclesia habitæ sunt.[880] *n. 870 *n. 871

880 XXVI. De facto autem Marcellini* multi dubitant. Nam et Augustinus de illo tractans *(De unico baptismo,* cap. 16, n. 27) dicit Marcellini crimen etsi a Donatistis *n. 872

[1] *Tit.* 3, 10.
[880] PL 43, 610.

argueretur, non tamen convinci nec tenuiter probari. Multas quoque rationes et conjecturas affert Baronius (anno Christi 303), quibus illud Marcellini crimen, et illius Concilii acta falsa esse probat. Cæterum, etsi demus esse legitima, quia sic ab antiquissimis et gravissimis auctoribus admittuntur, præsertim a Nicolao I [1] tamen ipsum Concilium non deposuit Marcellinum, sed dixerunt episcopi: "Tuo te ore judica, nam Prima Sedes a nemine judicatur". Postquam autem ipse se condemnavit aut declaravit, episcopi subscripserunt in ejus condemnationem, et anathema protulerunt.

881 Quod tamen si de vera excommunicatione intelligendum sit, consequenter dicendum est ipsum Marcellinum sic declarasse crimen suum ut pontificatui cederet, et sic in ipsum excommunicatio est prolata. Si tamen Pontifex mansit, quod verius videtur, quia Pontifex postea erat cum martyrio coronatus est, non fuit vere excommunicatus, sed aliquam suspensionem officii ad tempus et separationem pro poenitentia ipse admisit, et Concilium approbavit, et hoc sensu dicitur damnatus a Concilio [3].

882 De Honorio autem grandis quæstio est an vere fuerit hæreticus. Et quidem magister Cano *(De locis,* Lib. V, cap. 5) ipsum nullatenus ab hæresi excusat, non quidem in definiendo sed ut privata persona: nec enim ipse definivit errorem illum de una tantum voluntate in Christo.

883 Turrecremata *(Summa de Ecclesia,* Lib. II, cap. 93) admittit Honorium damnatum a sexta Synodo, sed ex falsa informatione, atque adeo in eo judicio Synodum errasse.

1 *Epist. ad Michaelem Imperatorem,* Epist. 8, Msi XV, 187 sq.
2 Msi 1,1253-1254.
3 Pro hac quæstione de Marcellino, cf. DTC. a. *Marcellin,* IX, col. 1939-2001.

Potest enim Concilium errare in quæstione de facto, licet non in quæstione de jure aut in definitionibus fidei.

884 Bellarminus *(De Romano Pontifice,* Lib. IV, cap. 11) censet quod quid dicitur contra Honorium in sexta Synodo ab æmulis ejus fuisse ibi insertum, idque dicit testari Anastasium Bibliothecarium in sua historia », et sic fateri debemus exemplaria sextæ Synodi in hac parte esse corrupta, et præsertim juvatur Bellarminus ex quadam epistola Agathonis Papæ[1] quæ in eadem sexta Synodo approbata est actione VIII et actione XVIII, in qua Agatho late ostendit nullum prædecessorum suorum in confirmanda fide defecisse, numeransque ac damnans eos qui hæresim Monothelitarum defenderant, qui negabant duas voluntates in Christo, inter eos non numerat Honorium, sed sanctam Sedem Apostolicam eximit. Quod item facit Concilium Romanum[3], quod, ante sextam Synodum, sub Martino I Papa celebratum est in causa hujusmet hæresis.

885 Addo mihi verisimile et satis fundatum videri quod tradit cardinalis Baronius (anno Christi 681, n. 19-34) quod Honorius nunquam negavit duas voluntates in Christo, alteram divinam, alteram humanam, sed negavit duas voluntates in ipsa humanitate sibi contrarias et repugnantes, quales nos habemus propter fomitem peccati. Et hoc constat ex illa disputatione celebri inter Pyrrhum et Maximum monachum[4],* in qua cum objiceret Pyrrhus quid de Honorio sentiret, respondit Maximus constare ex epistola quadam scripta[6] a successore Honorii Joanne IV ad imperatorem

1 De *vitis Rom. Pont.,* PL 128, 706.
2 Msi XI, 242-243.
s Msi X, 863 sq.
‹ Msi X, 739; PG 91, 328 sq.
‘ Msi X, 682.

Constantinum III, negasse Honorium duas voluntates contrarias in Christo carnis et spiritus, non duas voluntates, alteram humanam, alteram divinam. Et quia hoc non ita expresserat Honorius, existimatus est ab hæreticis secum sentire, eique talem calumniam imposuerunt. Et sic damnatio illa Honorii supposititia videtur, non a Concilio facta: vel si facta fuit, solum sub conditione, aut suppositione si forte Honorius id senserit, eum damnaverunt [1].

886 XXVII. Ad ultimum quod dicitur de Liberio *respondetur in primis* S. Hieronymum non dicere [2] quod Aeacius deposuit Liberium, sed quod in tantum claruit quod in locum Liberii Felicem II Arianum episcopum constitueret. Et certum est Liberium non esse juste depositum, sed injustissime in exilium deportatum, ut testatur Hilarius *(Contra Constantium,* 11)[3]; Athanasius *(Hist. Arian.,* 35)[4][5] et alii auctores historiæ illius temporis.

887 Dum autem exularet, Felix diaconus ejus in episcopum ab hæreticis subrogatur, ut testatur Rufinus *(Hist. Eccles.,* Lib. I, cap. 22)[4]. Et ideo ille Felix II dictus est hæreticus et Arianus, quia hæreticis communicabat, et tunc erat antipapa. Postmodum vero legitimus Papa effectus hæresim damnavit. Liberius[6] tamen nunquam depositus est secundum jus quamdiu hæreticis noluit consentire, postea autem cum consensit in damnationem Athanasii et cum hæreticis communicavit, a clero Romano abrogata ejus

1 Pro hac quæstioné de Honorio, cf. DTC. a. *Honorius I,* VII, coi. 94-132.
2 PL 23, 699.
3 PL 10, 589.
4 PG 25, 733.
5 PL 21, 495.
• Cf. DTC. a. *Libère,* T. 9,631-659.

dignitate, Felix electus est, et ipse tunc hæresim damnavit Arianam.

888 XXVIII. Restabat tractare de *secunda parte conclusionis* supra in principio articuli propositae, scilicet quod Romanus Pontifex non possit errare, nec aliquis unquam erraverit in definiendis rebus fidei. Et similiter quod haec potestas pontificia semper sit duratura in Ecclesia.

889 Sed quod attinet ad indeficientiam in fide, et quod nunquam aliquis Pontificum erraverit in illa definienda, sufficit indicare quod sancti Patres et Ecclesiæ Traditio communiter id colligunt ex illis verbis (Luc. 22, 32): *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*

890 Sic intellexit hunc locum Lucius Papa *(Epist. ad episcopos Hisp. et Gal.,* Epist. 1, cap. 8) et Agatho Papa in epistola scripta ad Imperatorem [1] et approbata in sexta Synodo generali; Felix I (Epist. *Ad Benignum*)[3]; Nicolaus I (Epist. *Ad Michaelem Imp.*) [4]; Leo IX (Epist. *ad Petrum Antiochenum*)[6]; Innocentius III capite *Majores* (c. 3, X, *de baptismo,* III, 42) [7]; Bernardus (Epist. CXC *ad Innocent. II*)[8]; S. Hieronymus *(Apol. contra Rufinum,* Lib. III, 12) [9]; Cyprianus (Epist. XII ad *Corn.*) [10]; et alii multi.

1 Msi I, 875; PL 3,1013-1014.
2 Msi XI, 242-243.
3 Msi 1,1111; PL 130,196-200.
4 Msi XV, 187 sq.
5 Msi XIX, 660.
6 RF II, 644.
7 PL 182,1053.
8 PL 23, 466.
9 PL 3, 823-856.

891 De duratione vero pontificiæ dignitatis, quam hæretici jam abolitam esse dicunt, non est quod multum curemus, cum ipsi solidum fundamentum afferre non possint de tempore quo desierit, aut qua auctoritate mutata sit, et in quale regimen sit translata, cum constet Ecclesiam unam esse et eamdem esse nunc quæ fuit ab initio. Non potest autem esse eadem si non maneret eadem forma regiminis, nec poterat potestas illa quæ a Christo instituta est in initio Ecclesiæ mutari nisi ab ipsomet Christo. 76^

892 Non est autem unde constet Christum Dominum illam mutasse, quin potius promissiones ejus sine ulla conditione aut restrictione sunt perpetuæ, nam *{Mat.* 28, 20) dicitur: *Ecce ego vobiscum sum . . . usque ad consummationem sæculi,* et *{Mat.* 16, 18): *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Si autem mutaretur potestas illa Petri prævalerent adversus illam portæ inferi, illi scilicet qui eam mutarent. — Denique (I *Tim.* 3, 15) dicitur quod *"Ecclesia est columna et firmamentum veritatis".* — Dicuntur etiam manere fideles Christi Domini usque ad tempus judicii *{Mat.* 24, 22): *Propter electos breviabuntur dies illi.* — Et in ultimis temporibus, multa scribuntur passim in epistolis Pauli, et Petri, et in Apocalypsi, quibus significatur fidem Christi Domini tunc adhuc duraturam. Si autem fides durabit, etiam et Ecclesia, et consequenter forma regiminis ejus.

INDEX BIBLICUS

GEN.

4, 26 716
12, 3 164, 219
22, 18 164, 219
49, 1 231, 238
49, 10 164, 178-181, 219,240sq.,260

EX.

6, 23 251
18, 13-26 460, 753, 758
23, 10-11 189
28, totum 449
29, totum 449, 710
32, 4-5 449
32, 24 458

LEV.

21, totum 710
25, 2-33 277
25,8 189-190, 266,286

NUM.

11, 24-25 452, 753, 758
12, totum 449
14, 18 53
18, totum 710
20,12 449

DEUT.

4,2 359
9, 20 459
12,32 359
13,2-6 452
17, 8-11 152, 366, 420, 554, 556, 612
17, 12 304, 423, 457
18, 15 164
18, 22 452, 538

3 REG.

2, 26-27 : 449, 706,714
22, 5-6 : 448

1 PAR.

3, 16-19 : 249
24, 1-3 : 706
24, 6 : 706, 714
26, 15 : 452
29, 22 : 714

2 PAR.

19, 6-7 : 306
19, 8-11 : 152, 304, 422, 456,555
26, 18 : 700
36, 21 : 267

1 ESD.

1 et 2 : 198
4,20-24 : 199
7,7-8 : 199

2 ESD.

1 et 2 : 273
2, 1 : 201

JUDITH

8, 22-23 : 85

PS.

2, 7 : 165
2,8 : 219,233
11, 7 : 53
18, 8-9 : 6,53
21, 17-19 : 225
22, 1 : 655
44, 12 : 165

PS.

68, 22 225
71,8 233
91, 11 231, 237
109,2 235
109,4 165
115, 11 470
118, 85 6, 27
131, U 165, 168, 173, 230
148, 5 122

ECCLI.

43,36 80

IS.

2,3 235
7, 14 137, 166
8, 16 361, 591
8, 19-20 357, 584, 591
9,6-7 166, 234
11, 10 181, 219
22, 22 653
28, 15 333
35, 5' 137, 224
41, 23 538
42, 1-4 180
42,9 223
44, 28 655
50, 6 225
53, totum 137, 166,170, 228
53, 5 225
61, 1 180, 223

JER.

22,30 : 241
25, 11-12 : 271
31,33-34 : 514, 527
33,20-21 : 169

THREN.

2, 14 448

BAR.

3,36-38 : 166

EZ.

22,28 : 448
34, 23 : 655
34,31 : 655

DAN.

7,14 : 234
9, 2-20 : 268
9,24-27 : 137, 166, 170, 178, 184sq., 221, 228, 261sq.

AMOS

9. 11 : 230, 239

MICH.

4, 7 : 235
5.2 : 176,217

HAB.

3, 2 : 237

AGG.

2.3 : 249
2, 7-8 : 166, 172, 175-176, 183, 195, 218, 219

ZACH.

9,2-4 : 223
9,9 : 175, 183

MAL.

2,7 : 361
3, 1 : 176,218

1 MAC.

2,1 : 242
2, 52-60 : 85
4, 36sq. : 192
5, 62-63 : 250
6, 20 : 279
6, 49 et 53 : 279
16,14 : 265

MAT.

1, 11-13 249
2, 1 217·
2, 5 217
4, 14 137
5,21 55
8,3 122
8, 20 223
8, 26 122
11, 4-5 224
11, 28 223
12,39 11
13, 34 15
15,3 324
16, 18 308,317,344,372,623,652sq., 670, 701, 781, 892
18, 17 : 101, 156, 365
18, 18 : 701, 708
20,28 : 68
21, 7 : 223
22,32 : 153
23, 2-3 : 307,361,422,457,556
23, 10 : 612
24,2 : 221
24, 22 : 892
24, 24 : 56, 114
28,20 : 317,775,892

MARC.

9,33 : 752

LUC.

1,2 : 385,612
1,32 : 230
1, 36 : 251
2, 1 : 758
2,4 : 217
3, 1 : 205
4,39 : 122
21,33 : 538
22, 25 : 752
22, 26 : 757

LUC.

22, 32 152, 309, 338, 372, 389, 559, 652sq., 661,670, 690, 776,889
22, 38 392
24, 44 163
24, 45 388, 591, 615

JOAN.

1, 7 588
1, 19-21 363, 453
3, 8 81
3, 18 339
4, 23 515
5, 34 et 36 582, 588
5,39 358, 526, 582, 588
5,46 162
7, 17 583, 590
7, 42 217
7,52 358
8, 54 68
9, 7 180
9, 32 121
10, 8 27
11, 51 457, 672
12, 48 581, 587
16, 13 140, 372
16, 29 140
17, 22 66
18,13 454
18, 20 141
18, 36 68
19, 15 246, 259
20,21 667, 751
20, 30-31 610
21, 15-17 152, 338, 652sq., 661, 670, 675, 776

ACT.

2, 1-4 236
2, 30 168
3, 13 188
3, 19 55

ACT.

4,6 455
4, 29-30 11
7,37 164
9,22 158
10,38 223
10,43 162
15, 2-3 364
15,6 436
15,14-17 239
15,28 372, 401, 436, 557, 558
15,41 311, 558
16,14 376
17,11 358, 513, 526
17,12 526
17, 22-32 36
17,30 55
20,28 629, 668, 721, 783
20,29 783
26,26 236

ROM.

1,2-3 162
1,18-19 41
1,20-21 29
3,4 367
8,16 510
13, 1 643
15,4 579

1 COR.

1,10 425
2,4 10
2,8 142
2,12 511, 522
2,15 512,524
3,5 612
3,9 660
10,17 737
11,19 331
12, 28 734, 750
15,36-37 81

2 COR.

8, 9 : 144
11,28 : 734
13, 5 :509,521

GAL.

1, 8 : 358, 603
2.1-2 : 401
2,21 : 228
5.19 : 403

EPH.

2.20 : 101,660
4.4 : 750
4, 5 : 300, 425
4,11 : 528, 750

2 THESS.

2, 9 : 56, 64,118
2.15 : 320

1 TIM.

3.1-13 : 668, 783
3.15 : 101, 310, 344, 372, 504, 892

2 TIM.

3, 16 : 579, 611, 617

TIT.

1, 5 : 668, 783
1,9 : 617,783
3,10-11 : 401,403,878

HEB.

1.1-2 : 384
2,3-4 : 63, 107, 324, 355
5.5 : 165
6,17-18 : 169
7-10 : 324

HEB.

7.12 : 695, 716
8,8-11 : 514,527
11,1 : 378
11,4-33 : 85
11, 6 : 300, 339
13,17 : 783

1 PET.

2,5 : 515
2.13 : 643
3, 15 : 19
5,2 : 783
5.13 : 832

2 PET.

1.16 : 6
1, 20-21 : 100, 401, 585, 592
3.16 : 89, 331, 334,387, 562

1 JOAN.

1,1-2 : 385
2,18 : 238
2,27 : 508,518
4, 1 : 296,432

APOC.

3, 7-8 : 653
13,3 : 115
13, 13 : 115
17, 5 : 833

4 ESD.

8,1-3 : 148

INDEX ONOMASTICUS

A

ABULENSis(AlphonsusTostatus), 458,711,712
Acacius Cæsariensis, 874
Adrianus I P., 844
Adrianus II P., 873
Agatho P., 603,843,884, 890
Ambrosius S., 37,442,615,660,698,720,730, 818
AnacleTUS P., 679, 801, 818, 837, 863
Anastasius Bibliothecarius, 884
Antiochenum Concilium (341), 438
Antonius Augustinus, 692, 835, 838
Apollonius Thyanæus, 125
Aquileiense Concilium (381), 573
Arcadius, 851
Arius, 314
Armacanus (Richardus Fitz Ralph, episc. Armacanus) 807
Athanasius S., 571,692,745,818,886
Augustinus S., 65, 71, 73, 77, 82, 115, 124, 129, 139, 229, 319, 322, 328-329, 337, 349, 353, 412,443, 459, 462, 471, 508, 520, 537, 538, 574, 579, 590, 595, 600-601, 614-615, 619, 641, 657, 684, 711, 712, 724, 788, 790, 840,880.

B

BanEZ D., 475, 493, 657, 807, 857
Baronius, 125,258,452, 880
Basileense Concilium, 871, 879
Basilius S., 322, 596, 602
Beda Ven. S., 206,866
Bellarminus S., 207, 705,709, 723,748,808, 835,884
Benedictus II P. (S.), 805, 867
Berengarius, 635
Bernardus S., 392, 445, 490, 560, 676, 685, 840, 890
Bonifacius III P., 866
Bonifacius VIII P., 392, 766, 820
Brentius (Brenz), 405

C

Cajetanus, 66, 79, 130, 458, 462, 470, 519, 521, 522, 526, 527, 656, 833
Calvinus, 405, 646, 773, 799, 805
Cano, 808,835,882
Canones Apost. LXXXV, 438
Carolus Magnus, 805
Carthaginense Concilium (397), 438, 868
Carthaginense Concilium (418), 802
Carthusianus D., 460
Cassiodorus, 692
Castro (Alphonsus de), 641, 724
Chalcedonense Concilium, 572, 635, 637, 657, 692, 746, 842
Çhrysostomus S., 521, 525, 589, 590, 599, 606, 619, 660, 683, 703, 787
Clemens Alexand., 29
Clemens I P. (S.), 17,37,151,162, 440,836, 853
Constantiense Conc., 645, 651, 657, 712, 870, 879
CONSTANTINOPOLITANUM CONC. I, 603, 637, 639
CONSTANTINOPOLITANUM Conc. III, 657, 843, 873
CONSTANTINOPOLITANUM CONC. IV, 873
Constantinus Magnus, 804, 865
Constantinus IV, 805, 867
Cornelius P., 288

Corpus Juris Canonici, 388, 392, 403, 438, 505, 506, 545, 597, 609, 663, 676, 698, 700, 714, 718, 720, 722, 725, 726, 727, 729, 754, 766, 767, 798, 804, 808, 817, 818, 820, 824, 838, 862, 865, 868, 869, 890
Cyprianus S., 288, 319, 327, 391, 632, 678, 681,703, 709,786,788,840,890
Cyrillus Alexand. S., 29,244, 598,605

D

Damascenus S., 29, 472,474
Damasus P. (S.), 671, 692, 837
Dionysius P. (S.), 681
Diodorus Siculus, 207
Dioscorus, 635
Donatistæ, 405, 635

E

Ephesinum Conc., 639
Epiphanius S., 322, 641, 840
Eugenius IV P,, 871, 879
Eusebius P. (S.), 818
Eusebius Cæsariensis, 207, 258, 280, 703, 709, 810, 832
Euthymius, 29
Evodius, 854

F

Felix I P. (S.), 890
Felix II, antip., 692, 837, 874
Felix IV P. (S.), 571
Florentinum Conc., 603,657,765, 795,814, 846
Fraticelli, 644
Fulgentius S., 840

G

Gallienus, 319
Gelasius I P. (S.), 388, 679, 838
Gratianus, 838
Gratianus, Augustus, 573
Gregorius I P. (S.), 638, 754, 840, 866, 877

H

Hegesippus (Ps.), 818
Herodotus, 207
Hieronymus S., 206, 207, 280, 327,403, 442, 560, 591, 615, 655, 663, 678, 703, 709, 718, 720, 722, 726. 727, 728, 778, 832, 840, 874, 886, 890
Hilarius S., 425, 660, 886
Honorius P., 873, 882-885
Hugo de S. Charo, 458,519
Hus Joan., 645, 651

I

Ignatius S., 680
Illyricus Flaccius, 799
Innocentius I P., 851
Innocentius III P., 663, 676, 698, 714, 817, 824, 890
Irrenæus S., 391, 411, 441, 471, 790, 840
Isidorus S., 545, 597, 603, 604

J

Jerosolymitanum Conc., 311, 401,436, 472, 557, 558, 577
Joannes IV P., 885
Joannes VIII P., 698
Joannes de Janduno, 642
Josephus (Flavius), 188, 253, 255, 256
Julianus Apostatus, 183
Julius I P. (S.), 679, 692,745,801,802,837, 863

Julius Africanus, 206, 214
Justinus S., 615

K

Kemnitius, 405

L

Lactantius, 29
Lateranense Conc. IV, 818, 845
Leo Magnus P. (S.), 389,635,679,702,709, 785, 840, 842
Leo IX P. (S.), 639, 890
Liberius P., 837, 874, 886-887
Lucius I P. (S.), 837, 890
Luther, 505, 646, 805
Lyra (Nicolaus de), 458

M

Macedonius, 314
Magdeburgenses, 799
Marcellinus P. (S.), 459, 872, 880, 881
Marcellus I P. (S.), 692, 817, 837
Marcianus, 572
Marcus P. (S.), 745, 837
Marcus Ephesinus, 603
Marsilius Paduanus, 642, 804
Martinus I P. (S.), 884
Martinus V P,, 712
Massiliensis (Nic. Coeffeteau), 749,797,798
Maximus S., 885
Meletius, 747
Mendoza, 711
Michael III, 744, 748, 840, 872, 880, 890
Milevitanum Conc. (416), 407

N

Nestorius, 314
Nicænum Conc. I, 280, 438, 571, 577, 603, 736, 744-749, 802, 842, 864
Nicænum Conc. II, 603, 607, 618, 844, 873
Nicolaus I P., 744,748,840,872,880,890
Nicolaus II P., 767, 818
Nilus Thessalonicensis, 640, 773, 799

O

Ockam, 803
Oleaster, 179,458
Optatus Milevitanus S., 790, 840
Origenes, 682, 720, 730

P

Paludanus (Petrus de Palude), 807
Paschasinus, 746
Pelagius II P., 638
Philo, 258
Phocas, 805, 866
Platina (Bartholomeo de Sacchi), 805, 867
Prosper Aquitanus S., 137, 840
Pyrrhus, 885

R

Ramon (Thomas), 835
Romanum Concilium, 571
Romanum Concilium (649), 884
Rufinus, 746, 838, 887
Rupertus, 206

S

Salianus, 207
Sigebertus Gemblacensis, 639
Simon Magus, 124
Sinuessanum Conc., 872, 880
Socrates, 571
Solinus, 207
Soto (Dom.), 807, 856
Spalatensis (Marcus Antonius de Dominis), 797, 798, 799, 801
Stephanus I P., 319
Suarez, 484, 493, 609, 803, 808, 835, 842

Surius (Laurentius), 842
Sylvester I P. (S.), 571

T

Tacitus, 115,125
Tarasius S., 844
Tertullianus, 51,69,82,102,143,157,227, 321, 327, 403, 409-410, 438, 471, 635, 643, 647, 700, 797, 833
Theodoretus, 29, 444, 459
Thqmas Aquinas S., 2, 8,12, 20, 24, 28, 29, 38-39, 43, 48, 49, 53, 61,78-79,120-121,130, 143-144, 149, 153, 238, 375, 376, 377, 381, 393, 403,474, 518, 519,521, 522,524,527,545,567-568, 603, 609, 614, 619, 651, 687, 771, 778, 842
Tridentinum Conc., 407,534
Trullanum Conc., 407
Turrecremata (Joannes de), 644, 725, 808, 883

V

Valerianus, 319
Velenus, 799
Vincentius Lirinensis S., 575

W

WICLEFF JOAN., 635

Z

Zosimus P,, 802

INDEX ANALYTICUS

à

Aaron: peccavit vitulum proponendo, sed non peccato infidelitatis, 459; fecit vitulum aureum, non vero opere dæmonis vitulus fuit formatus, 458.

Alexandrinus Episcopus: in omnes ecclesias Aegypti patriarchalem potestatem habebat, 736, 744-749

Anglicani: tenent ecclesiasticum regimen ad sæculares principes pertinere, 405, 643, 697-700

Antichristus: tempore ejus destruendam fore urbem Romæ communiter dicitur, 826, 859

Apostolicitas (nota): 471, 666, 789-790

Apostolus: omnibus Apostolis data est æqualis auctoritas quasi extraordinaria et delegata in ratione apostolatus, non tamen æqualis in ratione ordinariæ potestatis ad gubernandam Ecclesiam, 667-670, 707, 741, 755
Apostoli successores ordinaverunt qui ecclesias regerent post ipsos tanquam præpositi et pastores, 782-790
Apostoli subditi erant Petro, 652-665, 668-671, 678-679, 682-685
Dignitas et potestas apostolatus, 667, 771, 862-863

Appellatio ad Papam: 686, 802, 847

B

Babylon: Apocalypsi urbem Romæ significat, 832-833

C

Canonizatio Sanctorum: 476

Circulus: inter revelationem formalem et instrumenta nostræ fidei, quæ sunt Ecclesia et Scriptura, 87, 92-95
inter Ecclesiam et Scripturam, 292, 340-344, 351

Communitas Ecclesiæ: non est regula et judex in rebus fidei et morum, 625-628

Concilium Oecumenicum: repræsentat Ecclesiam totam, 553; habet a Papa quod universam Ecclesiam repræsentet, 480
cum Papa errare non potest, potest autem sine Papa, 480, 743; et de facto erravit in decretis Constantiensi et Basileensi, 879

Conclusiones Theologicæ: non definiuntur a Papa, 475, 476

Conjunctio: episcopatus romani cum Summo Pontificatu, 764-769, 791-863

Consensus Fidelium: non est regula et judex in rebus fidei et morum, 625-628

Consensus Patrum: 534

D

Daniel: prophetia de hebdomadibus, 166, 184-215, 261-286

David: ejus prophetiæ messianicæ, 165, 230-236; cur regnum messianicum vocatur regnum David, 235-236

Defensio: confundi non debet cum demonstratione veritatum fidei, 7-8; diversimode fides defenditur apud sapientes et cum minoribus, 14-15

Definitio: ordinarie a disputationibus praeceditur, 472; hoc autem non obstat ipso defintitioni, 474-476

Democratia: Ecclesia non est democratia, 470, 625-628

Depositio Papæ: lex divina statuit casus depositionis Papæ hæretici, 878; multi tenent Papam etiam ut personam privatam, non posse esse hæreticum. Oppositum est probabilius, 460,878

E

Ecclesia: invicta stabilitas Ecclesiæ: motivum credibilitatis, 75
dupliciter constat de auctoritate Ecclesiæ, 96-97, 351-352
non potest deficere a fide, 301; quod videtur Ecclesiæ non videtur hominibus solum, sed etiam Spiritui Sancto, 372, 504, 592, 620; Ecclesia judicat quodnam sit purum Dei verbum, 336-338
in Ecclesia datur humana potestas judicandi et determinandi ea quæ de fide sunt tenenda, 543; ista autem potestas non ponitur in tota Ecclesia, sed in uno supremo capite, 625-628, 629-630, 649-700; supremum caput in Ecclesia est Romanus episcopus, successor Petri non solum in episcopatu urbis Romæ, sed etiam in universali regimine totius Ecclesiæ, 764-887; Ecclesiæ unitas non servatur nisi unum sit supremum caput in ea, 694-696; Ecclesia ejusque caput possunt considerari vel ex propriis, vel ex his quæ habent ex infallibili assistentia Spiritus Sancti, secundum promissionem Christi, 370-372
Habet jus eligendi sibi Pontificem summum, 468, 471
Christus non deseruit Ecclesiam, sicut perperam dicunt hæretici, 316, 317, 323-325; Ecclesia jam primis annis traditiones non scriptas sequebatur, sicut modo, 318-322.
Ecclesia non est fundata supra confessionem fidei absolute sumptam, et secundum quod sit a quolibet homine, sed secundum quod fuit facta a Petro, 660
Non evangelizat aliud evangelium, sed idem explicat, 365,603;
Ecclesia et Scriptura in diverso genere se habent, et quælibet illarum propter suam supremam auctoritatem est ratio sui et aliorum, 351, 467

Credimus Ecclesiam esse visibilem, non tamen quia credimus aliquid ut visibile, cum fides sit de non visis, 368, 373, 516
Etiam in Lege Veteri fuit aliqua visibilis regula, 152, 304-307, 420-424, 450-457

Electi: pauci quantum ad numerum, sed magni quantum ad pretium, 148; paucitas electorum credibilitati nostræ fidei non officit, 147-149.

Epicheia: 614

Episcopus: sunt principales partes Ecclesiæ, 629
Sunt superiores præsbyteris — Sententia Hieronymi, 718-731
Habent potestatem ordinariam, non tantum delegatam, in suis ecclesiis, 754, 759, 877
Non est de fide quod singuli succedant Apostolis; etsi sit de fide episcopum Romanum Petro succedere, 829

Evangelium: aliud est evangelizare, et aliud Evangelium explicare, 365, 424, 603

Evidentia: evidentia moralia seu extrinseca, 104
Evidentia extrinseca credibilitatis et continuationis, 98, 106-107

F

Factum Petri: 791-794, 806-808, 828, 852-853

Fides: duæ conditiones requiruntur ut materia fidei *nostræ* habeatur, 377-388; non est idem aliquid esse de fide, et esse de jure divino, 829
Contra infideles de fide disputaturus ratione et demonstratione non eos convincet, 7-8; fidei praedicatio duplici via solet introduci. Primo, per miracula; secundo, per viam persuasionis et disputationis, 9-13; disputatio cum sapientibus, persuasio autem cum minoribus, 14-15. Triplici medio potest generaliter probari excellentia nostræ fidei. Primo, per viam negationis, 19-20, 25-33; secundo, per rationes positivas, 21-23, 34-79; tertio, per similitudines et exempla, 24, 80-86. Rationes positivæ quibus res fidei possunt ostendi sunt in duplici genere, 34, 35-51, 52-79
Antequam fides proponatur infidelibus, prius convenit scire an errent circa ea quæ ratio naturalis potest assequi de Deo, 22,28,35-40. Fides non destruit lumen naturæ, sed perficit et elevat, 31.
Judicium de rebus fidei et morum et earum propositio ad aliquam visibilem regulam pertinent, non autem ad judicium uniuscujusque, 301,406,543. Fidei unitas non salvatur, si in Ecclesia non sit unum supremum caput, 688-693
Inter instrumenta quæ nobis proponunt res fidei, unum est alio manifestius, 99, 101
Contra Judæos et hæreticos de fide disputaturus, prius debet cum ipsis convenire de Scripturis et principiis fidei quæ admittunt, 150-156
Fides historica ejusdem auctoritatis est ac fides salvifica seu dogmatica, 576-579

Fraticelli: docuerunt cessasse in Ecclesia Romana auctoritatem Petri, ad ipsosque esse translatam, 644

G

Græci: negaverunt cum Armenis singularitatem primatus Romani Pontificis, 636-640

Gregorius: quare Gregorius Papa "universalis episcopus" vocari respuit, 638, 877

H

Hæresis: quid sit hæresis, 403; Formalis ratio in quam hæreses omnes conspirant, est oppositio ad Ecclesiam quatenus est proponens res fidei, 287, 326, 400.
Materia hæresum varia est et multiplex 287.
Quomodo hæretici urgeri possunt, 293-300. Aliæ sunt probationes cum hæreticis et cum catholicis, 407-408, 413-417, 652, 795, 830
Varii errores haereticorum contra auctoritatem Rom. Pontificis, 631-648, 760-762
Omnes hæreses in ipso exercitio auctoritatem istam negant, 632
Hæresis Anglicana refertur, 405, 643; eadem hæresis refutatur, 697-700

Hagiographi: 371, 742

Historia: est locus theologicus, 534
Fides historica apud haereticos, 576-579

Honorius: an fuerit haereticus monothelita, 873, 882-885

I

Imperator: nunquam primatus Romani Pontificis ab aliquo imperatore concessus intelligitur tanquam ab instituente et ordinante, 804-805, 864-867

Infallibilitas: concilium oecumenicum est infallibile, 477-480; Ecclesia universalis credens et docens est etiam infallibilis, 625-628
Romanus Pontifex est suprema regula in definiendis rebus fidei et morum, hoc probatur ex ejus primatu super universam Ecclesiam, 764-887; et ex variis aliis testimoniis, 888-892

Inspiratio: quomodo apud infideles stabilitur, 537-538

Isaias: prophetiæ ejus de nativitate Messiæ ex virgine, 166; de Servo Dei, 225

J

Jacob: prophetia ejus de sceptro Judæ, 164, 178-183, 240-265

Jesus Christus: tria concurrunt in miraculis Christi, quæ evidenter ostendunt fuisse vera miracula, et a solo Deo facta, 61, 79,121
Fecit miracula ut haberetur tanquam verus Deus, sed cum summa humilitate, et fuga omnis honoris, 67-68

Multum proficeret in informatione morum, si quis parabolas et similitudines Christi ad vivum explicare conaretur, 86
Ejus divinitas sufficienter ostensa est in primo adventu, 134,141. Ipsa ejus abjectio profundissima demonstrat divinitatem Salvatoris, 49, 51, 135, 142-145
Tota cum Judaeis controversia ex unico illo puncto dependet: an Christus in Lege promissus jam venerit, et sit illa singularis persona quæ dicitur Jesus, Filius Mariæ, 158. Testimonia contra Judæos sunt in triplici genere, 160-162. Successive afferuntur primum, secundum et tertium genus testimoniorum, 163-173; 174-215; 216-227.
Quando Ecclesia judicat in rebus fidei et morum, etiam judicat Christus, et quidem principaliter, 556, 601.

Judaismus: Lex antiqua per Moysen data in Christo finiri debuit, 159, 228
Regnum Messiæ non erat futurum in sola gente Judæorum, sed in omni terra; nec delicias et divitias terrenas promittebat, sed coelestes, 159

Judex: non est pure minister legis, 609, 614.

Judicium Privatum: Dupliciter judico privato stari potest, 402-405.
Sacræ Scripturæ contradicit, 418-424
Destruit unitatem fidei divinæ, 425-427
Plures involvit impossibilitates, 333, 428-434
Traditioni continuate contradicit, 435-446

Jurisdictio: Comparatur potestas Papæ et episcoporum, 759

Jus: Datur jus et datur judex, 544-546
Secundum jus judicandum est, 614
Utrum conjunctio episcopatus Romani cum Summo Pontificatu sit jure divino necne, 806-808, 815-830,852

L

Laici: eorum regimen in Ecclesia, 625-628

Lex: Lex et jus, 545
Legem Judæorum finiendam esse per Messiam ostenditur, 159, 228-229

Liberius: Injuste fuit depositus et in exsilium deportatus, 886-887

Loci Theologici: 534

M

Mahumetismus: Doctrina, 29, 43, 131

Manichæi: Dicebant nullas prophetias veteres loqui de Christo, 162

Marcellinus: Non est certum hunc Papam idolis metu mortis sacrificasse, 880-881

Martyrium: Argumentum veritatis nostræ fidei, 73-74

Miraculum: Quomodo sit motivum credibilitatis, 56-57
Discemibilitas miraculi, 57-68, 120-122
Vis ejus probativa, 56-68, 114-131
Dæmones et miracula, 59-68, 120-122
Nunquam in Ecclesia cessavit donum miraculorum, 78-79, 130
Miracula non sunt parva, si consideretur causa eorum principalis, 129

Miracula Christi: Tria in istis miraculis ostendunt fuisse vera miracula, 61, 79,121
Differentia inter miracula Christi et Antichristi, 64-68, 118-122

Motiva Credibilitatis: Non sunt ratio formalis fidei, 34, 354-355
Principalia considerantur, 18-86
Valor eorum stabilitur, 118-131, 137-140
Ipsa abjectio passionis Christi divinitati ejus favet, 142-145

N

Notae Ecclesiæ: 471, 666, 789

P

Paganismus: Est species infidelitatis primativæ, 1-2
Comparatur cum Christianismo, 26-30, 43-44

Papa: Papa dubius, Papa nullus, 469
Papæ auctoritas non est supra auctoritatem Scripturæ, sed supra explicationem ejus, et determinationem eorum quæ sunt dubia, 501, 600
Varii errores circa auctoritatem Papæ, 631-648, 760-762, 797-805

Patres: Auctoritas eorum, 534

Paulus: Contulit evangelium quod in gentibus praedicabat cum Petro, 401
Aequalis erat Petro in apostolatu, 667, 797
Erat cum Petro episcopus Romanus, 797

Petrus: Dotatus præ cæteris Apostolis potestate universalem Ecclesiam pascendi et gubernandi, 652-665, 667-671, 678-679, 681-685
Confirmator fratrum, 309, 559, 652-654
Debuit Petrus habere perpetuos successores, 309, 662, 666, 769-790
In ipso Petro Christus ipse omnes ejus successores instituit, 470
Instituit Petrus Clementem Papam, 836, 853
Sedes ejus primum Antiochiæ; deinde Romæ, 794, 797, 854
Sedes Romana est sedes Petri: Paulus aliquid non contulit quantum ad jus potestatis, sed solum quantum ad nobilitatem originis, 794, 797-799
Mortuus est Romæ, 794, 799

Philosophi: Non sufficiunt ad congnitionem totius de Deo veritatis, 27-30

Pontifex Romanus: Non est vicarius Petri, sed Christi, 798, 801
Non est vicarius Ecclesiæ, 470
Est successor Petri, 791-851
Habet supremam potestatem in Ecclesia:
probatur ex S.S., 831-833; ex Traditione, 834-851
difficultates solvuntur, 852-887
Causæ majores ad eum sunt referendæ, 692, 847-851
Est supra concilium universale, 479-480, 689-692, 849
Solius Papæ *estformaliter* concilium universale congregare, 479-480,689-692, et quidem actus ejus confirmare, 480, 849
Ad ipsum spectat finaliter determinare de rebus fidei et morum,
probatur ex eo quod habet primatum in universam Ecclesiam, 760-887
probatur ex variis testimoniis, 888-892
Ecclesia potestatem ministerialem habet super personam Papæ, quantum ad electionem, 468, 471; quantum ad depositionem in casu hæresis, 878
Acceptando papatum, electus Petro succedit in primatu, 470

Præambula Fidei: Quænam sunt, 34
Per prius sunt stabilienda, 35-40
Perfectissime de illis curat doctrina catholica, 42-44
Quomodo ex præambulis manuducatur ad excellentiam fidei nostræ ostendendam, 45-51

Prædicator: Non habet infallibilem auctoritatem, etiam actualiter et per modum transeuntis, 484-498
Ipsa autem praedicatio praedicatoris est infallibilis si propositio est sufficiens, 491-498

Præsbyteri: Comparantur cum episcopis — Sententia Hieronymi, 718-729

Primatus: Primatus et apostolatus, 667-670
Primatus Petri, 652-665, 677-685
Primatus Romani Pontificis, 760-887
Sedes Romana Petri, 791-794, 799,852-863.Connexio primatus cum Sede Romana, 806-830, 852-863
Non est contra rationem regiminis pro toto orbe quod sint diversi reges, secus autem est de regimine ecclesiastico, 737-739, 758-759
Quomodo hæretici et schismatici primatum Episcopi Romani ad jus positivum humanum devolvunt, 800-805; solvuntur eorum argumenta, 864-867

Prophetia: Vis probativa, 71, 137-139
Fortasse habuerunt prophète evidentiam de ipsa testificatione Dei, 100,106, 353

Prophetiæ Messianicæ: Earum obscuritas, 137-139
Omnes in Jesu Nazareno adimplete, 163-286
Promissio Messiæ facta non est sub conditione, 167-173
Quædam circumstantia designantur in istis prophetiis quæ convenire non possunt nisi Filio Mariæ, 216-227

R

Regimen Ecclesiæ: Est hierarchicum, 625-628, 759
Est monarchicum, 629-700

Regula Fidei: Distinguendum est inter regulam fidei *quoad se,* seu motivum formale fidei,et instrumenta nostræ, fidei quæ vocantur regulæ *nostræ* fidei, 92,100, 384-386
Sunt quatuor exteriores regulæ fidei *nostræ,* duæ inanimatæ seu *remotæ,* duæ animatæ seu *proximæ,* 101, 531-533
Regulæ *remotæ* nostræ fidei sunt Sacra Scriptura et Traditiones Apostolicæ, 532, 535-620; Non sunt regulæ *proximæ,* ibid.
Concilium œcumenicum et Papa non constituunt nisi *una* regula *proxima* nostræ fidei, 477-480, 629-630

Regula Proxima Nostræ Fidei: Non est judicium privatum, 400-446; Textus S. Scripturæ qui favere videntur inspirationi privatæ, 507-528
Non est Sacra Scriptura neque Traditiones Apostolicæ, 291, 293-339, 535-620
Argumenta hæreticorum ad ostendendum S. Scripturam esse regulam proximam nostræ fidei, 340-373, 580-620
Non invenitur penes principes sæculares, 405, 623, 644, 697-700
Non potest esse æque immediate in tota Ecclesia, 625-628
Ista regula est visibilis et exterior omnibus fidelibus, 406-446; etiam in Lege Veteri fuit aliqua visibilis regula, 152, 304-307, 420-424, 450-457, 672
Est regula viva et humana, 290-339,543-575; necessitas ponendi judicem animatum humanum oritur ex duplici principio, 547-550
Solvuntur difficultates hæreticorum, 576-620
Tractando de ista regula, totius rei catholicæ summa disputatur, 287-288, 391, 632-633
In suo genere, ista regula est ratio sui et aliorum, 351, 467
In uno supremo capite ponenda est, 650-700; solvuntur difficultates, 701-759
Romanus episcopus istius regulæ proximæ munus gerit, 760-892

Revelatum: Quod implicite tantum est revelatum indiget aliquo auctoritative declarante, 604, 618
In his quæ ad fidem pertinent sine auctoritate aliquid asserere periculosum est, 778

Roma: Per Babylonem Roma in Scriptura intelligitur, 832-833
Roman destruendam fore tempore Antichrist! communiter dicitur, 826, 859

Romanus Pontifex: Est successor Petri, 791-851
Non est certum fuisse conjunctum Pontificatum Ecclesiæ cum episcopatu Romano *ex jure divino,* 796, 806-808, 815-829
De fide tamen est Romanum episcopatum habere *de facto* conjunctam sibi universalem Ecclesiæ potestatem, 827-851
Varii errores circa Romani Pontificis auctoritatem, 631-648, 760-762, 797-805

Schisma: Licet ab hæresi distinguatur, plerumque tamen cum illa conjungitur, et parat viam ad illam, 405

Schisma Occidentale: non obstat unitati Ecclesiæ Catholicæ, 712, 879

ScHiSTiMATlci: De primatu Romani Pontificis, 634, 636-640

Sacra Scriptura: Spiritus Sanctus est auctor, 536; probatur apud paganos, 537-538
Est unum ex instrumentis res fidei nobis proponentibus, 101, 531-532
Dupliciter potest considerari, 110-112
Libri "Deuterocanonici", 90, 113
Est regula remota nostræ fidei, i.e. regula secundum quam fieri debet judicium fidei, 87, 90, 101, 110-111, 290-291, 301-302, 360, 532, 580, 586, 593, 602, 616, 620
Non tamen est judex ipse qui in dubiis fidei pronuntiaturus est, et fideles confirmaturus, 87, 101, 110-112, 152, 287, 290-291, 301-303, 331-339, 360-366, 387-388, 540-543, 547-551, 561-566, 586, 602, 616, 620
Plures difficultates et obscuritates ad intelligendum continet, 101, 110-112, 331, 387-388, 562-566, 615-616
Unde constat Scripturam quam habemus, non esse depravatam in tot translationibus, controversiis et expositionibus, 110-112, 293-300, 336-339, 386-389, 540, 543-575, 764
Non est authentica nisi a Papa proponatur, 499, 501-503, 550, 620
Sed ex hoc non sequitur verbum Papæ esse majoris auctoritatis quam ipsa Scriptura, 501-508

Successio Legitima: Romanorum Pontificum, 471, 789-790, 839-840

T

Theologia: [redacted]potest esse creditum, 475
Auctorita[redacted]Scholasticorum, 534

Traditio: D[redacted]est: ex acceptatione, et præter acceptationem Ecclesiæ, 103-104
Jam a primis sæculis Ecclesia Traditiones non scriptas sequebatur, 318-322
Traditiones Apostolicæ non scripts non sunt regula proxima nostræ fidei, 387, 532, 569
Ad quid præcipue deserviunt, 606-607

V

Visibilitas Ecclesiæ: Conciliatur cum fide de Ecclesia, 368, 373, 516
De Ecclesia invisibili hæreticorum, 299